

LIVING LATIN IN NEW YORK CITY
FEBRUARY 17 - 18, 2018



THE PAIDEIA INSTITUTE FOR HUMANISTIC STUDY, INC.



CONTENTS

Lectiones Antiquae

Titus Maccius Plautus (254-184 A.C.), <i>Curculio</i>	4
Publius Terentius Afer (_____ A.C.), <i>Adelphae</i> , I.ii	6
Marcus Tullius Cicero (_____ A.C.), <i>De Finibus Bonorum et Malorum</i> , 5.18.48ss.	8
<i>Pro Archia</i>	9
Marcus Vitruvius Pollio (_____ A.C.), <i>De architectura</i> 3.1.1-4	12
Lucius Annaeus Seneca Minor (_____ A.C.), <i>Epistulae Morales</i> 11	13
<i>Epistulae Morales</i> 88	14
Marcus Fabius Quintilianus (_____), <i>Institutiones Oratoriae</i> . II.2	17
Gaius Suetonius Tranquillus (_____), <i>De Vita Neronis</i> .	20
<i>De Grammaticis</i>	20
Lucius Apuleius Madaurensis (_____), <i>Florida</i> 10.4.2	22
Decimus Magnus Ausonius (_____), <i>Epigrammata</i>	23
Eusebius Sophronius Hieronimus (_____), <i>Epistula XXII Ad Eustochium</i> 30, 3	25

Lectiones Mediae Aetatis

Aurelius Augustinus Hipponensis (354-430), <i>Confessiones</i>	26
Martianus Minneus Felix Capella (_____), <i>De nuptiis Philologiae et Mercurii</i> 2.134-141	28
Hroswitha Gandersheimensis (_____), <i>Dulcitius</i>	30
Petrus Abaelardus , (_____), <i>Historia Calamitatum</i>	32
Hugo De Sancto Victore (_____), <i>Didascalicon</i> I.1	35
Maffaeus Vegius (_____), <i>Supplementum Libri Duodecimi Aeneidos</i> (<i>vulgo vocatur Liber Tertius Decimus Aeneidos</i>)	36

Lectiones Aetatis Artium Renatarum

Desiderius Erasmus (_____), <i>Adagia</i> I, VIII, 96	39
<i>Dialogus Abbatis et Eruditae</i>	41
<i>Ars notoria</i>	45
Thomas Morus (_____), <i>Utopia</i> .	47

Phillipus Melanchthon (1497-1560), <i>De Laude Vitae Scholasticae</i>	48
<i>De miseriis paedagogorum.</i>	52
Ioannes Latinus (_____), <i>De Natali Serenissimi Principis Ferdinandi</i>	55
Anna Maria a Schurman (_____), <i>Problema Practicum</i>	57

Lectiones Recentiores

Arthurus Schopenhauer (_____), <i>De Doctrina deque viris doctis</i> (Latine vertit Martinus Baasten)	59
Carolus Marx (_____), <i>An Principatus Augusti Merito Inter Feliciores</i> <i>Reipublicae Romanae Aetates Numeretur?</i>	61
Pontifex Romanus Ioannes XXIII (_____), <i>Constitutio Apostolica De</i> <i>Veterum Sapientia</i> , V-VI.	63
Reginaldus Thomas Foster (_____), <i>De Fosteriana Docendi Via.</i>	64


Ἀναγνώσματα Ἑλληνικά

Ἄριστοφάνους Νεφέλαι (Aristophanes <i>Clouds</i>) 221-260	65
Ξενοφώντος Ἀπομνημονεύματα (Xenophon <i>Memorabilia</i>), 1.2.12-20	68
Πλάτωνος Πολιτεία (Plato <i>Republic</i>) 10, 598b6-c4	69
Ἄριστοτέλους Περὶ Ποιητικῆς (Aristotle, <i>Poetics</i>), 1448b	70
Πλουτάρχου Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων κούειν (Plutarch, <i>quomodo adolescens</i> <i>poetas audire debeat</i>)	71
Ἐπικτήτου Διατριβαί (Epictetus, <i>Discourses</i>) 4,6,11-17	72
Λιβανίου ἐπιστολή ρλθ' (Libanius, Letter 139)	72
Ἰουλιανοῦ Αὐτοκράτορος Μισοπῶγων (Emperor Julian, <i>Misopogon</i>) § 21	72
<i>Colloquia Monacensia-Einsidlensia</i> (ed. E. Dickey 2012)	73
Μιχαὴλ Ἀποστόλου (Michael Apostolis) λόγος παραινετικὸς (ed. H. Noiret 1889, p. 148ff.)	74

Titus Maccius PLAUTUS

Curculio

{LEAENA} Flós veteris vini meis náribus obiectust,
éius amor cupidam me huc prólicit per tenebras.
ubi ubi ést, prope me est. euáx, habeo.
salve, ánime mi, Líberi lepos.
ut véteris vetus tui cúpida sum. 100
nam ómnium unguéntum odor praé tuo náutea est,
tú mihi stácta, tu cínnamum, tú rosa,
tú crocinum et casia es, tu télinum,
nam ubi tú profusu's, íbi ego me pérvelim sepultam. 105
séd quom adhuc náso odos óbsecutúst meo,
da vicissim meo gutturi gaudium.
nil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto
tangere, invergere in me liquores tuos,
sine, ductim. sed hac abiit, hac persequar. 110
{PHAED.} Sitit haéc anus. {PAL.} Quantillúm sitit? {PHAED.} Modica ést, capit quadrántal.
{PAL.} Pol ut praé dicas, vindémia [haec] huic ánuí non sat est sóli.
canem esse hánc quidem magis pár fuit: sagax násum habet. {LEAENA} Amábo,
cúia vox sonát procul?
{PHAED.} Céenseo hanc áppellandam anum.
adíbo. redi ét respice ád me, Leaéna. 115
{LEAENA} Imperatór quis est?
{PHAED.} Vínipollens lépidus Liber,
tibí qui screánti, siccaé, semisómnae
adfért potiónem et sitím <iam> sedátum it.
{LEAENA} Quám longe a me abest? {PHAED.} Lúmen hoc vide. 120
{LEAENA} Grándiorém gradum ergó fac ad me, óbsecro.
{PH.} Sálve. {LE.} Egon sálva sim, quae siti sícca sum? {PH.} At íám bibes. {LEAENA} Diu fit.
{PHAED.} Ém tibi anus lepida. {LEAENA} Sálve, oculissime homo.
{PAL.} Age, effúnde hoc cito in barathrúm, propere
prolué cloacam. {PHAED.} Tace. Nólo huic male dicí. {PAL.} Faciam igitur mále potius. 125
{LE.} Venús, de paulo paúlulum hoc tibi dabo haud lubénter.
nam tibi amantes própítiantes vínum potantés danunt
omnés, mihi haud saepe évenunt talés hereditátes.
{PAL.} Hoc víde ut ingurgitat ímpura in se mérum avariter, faucibus plenis.
{PHAED.} Perii hércle, huic quid primúm dicam nesció. {PAL.} Em istuc, quod míhi dixti. 130
{PHAED.} Quid id ést? {PAL.} Perisse ut té dicas. {PHAED.} Male tibi di faciant. {PAL.} Díc isti.
{LE.} Ah. {PAL.} Quíd est? ecquid lubet? {LE.} Lúbet. {PAL.} Etiam mihi quóque stimulo foderé lubet te.
{PHAED.} Tace, <né> – {PAL.} Noli, taceo. ecce autem bibit árcus, pluet credo hércle hodie.



{PHAED.} Iamne égo huic dico? {PAL.} Quid dices? {PHAED.} Me periísse. {PAL.} Age dice. {PHAED.} Anus, aúdi.

hóc volo scíre te: pérditus súm miser. 135

{LEAENA} At pól ego oppidó servata.

séd quid est? quid lubet pérditum dícere

te essé? {PHAED.} Quia id quod amo cáreo.

{LEAENA} Phaedrome mi, ne plora amabo.

tu mé curato né sitiam, ego tibi quód amas iam huc addúcam. – 140

{PHAED.} Tibine égo, si fidem servás mecum, vineám pro aurea statuá statuum,

quae tuó gutturí sit monumentum.

qui me ín terra aeque fórtunatus erít, si illa ad me bítet,

Palinúre? {PAL.} Edepol qui amát, si eget, misera ádficitur, <ere>, aerúmna.

{PHAED.} Non íta res est, nam cónfido parasítum hodie adventúrum

cum argénto ad me. {PAL.} Magnum ínceptas, si id éxpectas quod núsquamst. 145

{PHAED.} Quid si ádeam ad fores atque óccentem? {PAL.} Si lúbet, neque veto neque iúbeo,

quando égo te video immútatis moribus esse, ere, atque ingyénio.

{PHAED.} Péssuli, heus péssuli, vós salutó lubens,

vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro,

géríte amantí mihi mórem, amoeníssumi, 150

fite causa mea ludii barbari,

sussilite, obsecro, et mittite istanc foras,

quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.

hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi

nec mea gratia commovent se ocus. 155

re spicio, nihili meam vos gratiam facere.

st tace, tace. {PAL.} Taceo hercle equidem. {PHAED.} Sentio sonitum.

tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.



Publius TERENCE Afer

Adelphoe, I.ii

DEMEA MICIO

SENES DUO

DE. Ehem opportune: te ipsum quaerito.

MI. Quid tristis es? **DE.** Rogas me, ubi nobis Aeschinus sic est, quid tristis ego sim? **MI.** Dixin hoc fore?


quid is fecit? **DE.** Quid ille fecerit? quem neque pudet quicquam nec metuit quemquam neque legem putat tenere se ullam. nam illa quae antehac facta sunt omitto: modo quid dissignavit! **MI.** Quidnam id est?

DE. Fores ecfregit atque in aedis inruit alienas: ipsum dominum atque omnem familiam mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem quam amabat. clamant omnes indignissime factum esse. hoc aduenienti quot mihi, Micio, dixere! in orest omni populo. Denique, si conferendum exemplumst, non fratrem re uidet operam dare, ruri esse parcum ac sobrium? nullum huius simile factum. haec quom illi, Micio, dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.

MI. Homine inperito numquam quicquam iniustiust, qui nisi quod ipse fecit nil rectum putat.

DE. Quorsum istuc? **MI.** Quia tu, Demea, haec male iudicas. non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari, neque potare: non est: neque fores ecfringere. haec si ne,que ego neque tu fecimus, non siit egestas facere nos: tu nunc tibi id laudi ducis, quod tunc fecisti inopia. iniuriumst: nam si esset unde id fieret, faceremus. et tu illum tuom, si esses homo sineres nunc facere, dum per aetatem licet, potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras, alieniore aetate post faceret tamen.

DE. Pro Iuppiter! tu, homo, adigis me ad insaniam. non est flagitium facere haec adolescentulum? **MI.** Ah, ausculta, ne me optundas de hac re saepius. tuom filium dedisti adoptandum mihi: is meus est factus: siquid peccat, Demea, mihi peccat: ego illi maxumam partem fero.



scortatur, potat, olet unguenta? de meo;
fores ecfregit? restituentur; discidit
uestem? resarcietur. est dis gratia,
et est unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.
postremo aut desine aut cedo quemuis arbitrum:
te plura. in hac re peccare ostendam. **DE.** Ei mihi!
pater esse disce ab illis qui uere sciunt.
MI. Natura tu illi pater es, consiliis ego.
DE. Tun consiliis? quicquam.. **MI.** Ah, si pergis, abiero.
DE. Sicine agis? **MI.** An ego totiens de eadem re audiam?
DE. Curaest mihi. **MI.** Et mihi curaest. uerum, Demea,
so curemus aequam uterque partem: tu alterum,
ego item alterum. nam curare ambos propemodum
repscere illum est quem dedisti. **DE.** Ah, Micio!
MI. Mihi sic uidetur. **DE.** Quid istic? tibi si istuc placet,
profundat perdat pereat! nihil ad me attinet.
iam si uerbum unum posthac . . **MI.** Rursum, Demea,
irascere? **DE.** An non credis? repeton quem dedi?
aegrest; alienus non sum; si obsto .. em desino.
unum uis curem? curo. et est dis gratia,
quom ita lit uolo esse est; tuos iste ipse sentient
posterius . . nolo in illum grauius dicere. ---
MI. Nec nil neque omnia haec sunt quae dicit; tamen
non nil molesta haec sunt mihi; sed ostendere
me aegre pati illi nolui. nam itast homo:
quom placo, aduorsor sedulo et deterreo,
tamen uix humane patitur; uerum si augeam
aut etiam adiutor sim eius iracundiae,
insaniam profecto cum illo. etsi Aeschinus
non nullam in hac re nobis facit iniuriam.
quam hic non amaui meretricem? aut quoi non dedit
aliquid? postremo nuper (credo iam omnium
taedebat) dixit uelle uxorem ducere.
sperabam iam deferuisse adulescentiam:
gaudebam. ecce autem de integro! nisi quidquid est
uolo scire atque hominem conuenire, si apud forumst.



Marcus Tullius CICERO

De Finibus Bonorum et Malorum, 5.18.48ss.

Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsus recurrant? ut aliquid scire se gaudeant? ut id aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis atque eius modi spectaculis teneantur ob eamque rem vel famem et sitim perferant? quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem?

[49] [Ut] mihi quidem Homerus huius modi quiddam vidisse videatur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. neque enim vocum suavitate videntur aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. ita enim invitant Ulixem—nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum —:

*O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
Nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,
Post variis avido satiatus pectore musis
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.*

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus irretitus vir teneretur; scientiam pollicentur, quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse cariorem. Atque omnia quidem scire, cuiuscumque modi sint, cupere curiosorum, duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum virorum est putandum.

XIX. [50] Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quaedam describit attentius, ne patriam <quidem> captam esse senserit? quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis? quo studio Aristophanem putamus aetatem in litteris duxisse? quid de Pythagora? quid de Platone aut de Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas. quae qui non vident, nihil umquam magnum ac cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia, quae dixi, non intellegunt idcirco esse ea propter se expetenda, quod nulla utilitate obiecta delectentur animi atque ipsa scientia, etiamsi incommodatura sit, gaudeant.

[51] Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quaeramus a nobis stellarum motus contemplationesque rerum caelestium eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones quem ad modum nos moveant, et quid historia delectet, quam solemus persequi usque ad extremum, <cum>



praetermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec vero sum nescius esse utilitatem in historia, non modo voluptatem.

[52] Quid, cum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla elici potest, cum voluptate legimus? quid, cum volumus nomina eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique delectantur historia? Maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute. Quocirca intellegi necesse est in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur.


Pro Archia

[14] Nam nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magno opere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnis cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsili parvi esse ducenda, numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum cotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines – non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum – fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda re publica proponens animum et mentem meam ipsa cognitione hominum excellentium conformabam.

[15] Quaeret quispiam: “Quid? Illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt?” Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certe quod respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos et moderatos et gravis exstitisse, fateor: etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.

[16] Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem Africanum; ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos; ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem: qui profecto si nihil ad percipiendam virtutem litteris adiuventur, numquam se ad earum studium contulissent. Quod si non his tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen (ut opinor) hanc animi aversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum: haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoscant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

...



[23] Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res eae quas gessimus orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cum ipsis populis de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum eis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculis incitamentum est et laborum.

[24] Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: “O fortunate” inquit “adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!” Et vere. Nam nisi Illias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit; et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?


[25] Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur perficere non potuit. Sulla cum Hispanos donaret et Gallos, credo hunc petentem repudiasset: quem nos in contione vidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex eis rebus quas tunc vendebat iubere ei praemium tribui, sed ea condicione, ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset?

[26] Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen auris suas dederet. Neque enim est hoc dissimulandum (quod obscurari non potest) sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi, etiam in eis libellis quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt.

[27] Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Acci, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poetarum salute abhorreere.

[28] Atque ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse verum tamen honesto vobis, confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huiusce imperi et pro vita civium proque universa re publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adornavi. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculisque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo tantis nos in laboribus exerceamus?

[29] Certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnis cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec totiens de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus quae noctis ac dies animum



gloriae stimulis concitat, atque admonet non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

[30] An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in re publica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt; consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem afutura est sive--ut sapientissimi homines putaverunt--ad aliquam mei partem pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.



Marcus VITRUVIUS Pollio

De architectura 3.1.1-4

[1] Aedium compositio constat ex symmetria, cuius rationem diligentissime architecti tenere debent. Ea autem paritur a proportione, quae graece analogia dicitur. Proportio est ratae partis membrorum in omni opere totiusque commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Namque non potest aedis ulla sine symmetria atque proportione rationem habere compositionis, nisi uti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem.

[2] Corpus enim hominis ita natura composuit, uti os capitis a mento ad frontem summam et radices imas capilli esset decimae partis, item manus palma ab articulo ad extremum medium digitum tantundem, caput a mento ad summum verticem octavae, cum cervicibus imis ab summo pectore ad imas radices capillorum sextae, <a medio pectore> ad summum verticem quartae. Ipsius autem oris altitudinis tertia est pars ab imo mento ad imas nares, nasum ab imis naribus ad finem medium superciliarum tantundem, ab ea fine ad imas radices capilli frons efficitur item tertiae partis. Pes vero altitudinis corporis sextae, cubitum quartae, pectus item quartae. Reliqua quoque membra suas habent commensus proportionem, quibus etiam antiqui pictores et statuarii nobiles usi magnas et infinitas laudes sunt adsecuti.

[3] Similiter vero sacrarum aedium membra ad universam totius magnitudinis summam ex partibus singulis convenientissimum debent habere commensus responsum. Item corporis centrum medium naturaliter est umbilicus. Namque si homo conlocatus fuerit supinus manibus et pedibus pansis circinique conlocantum centrum in umbilico eius, circumagendo rotundationem utrarumque manuum et pedum digiti linea tangentur. Non minus quemadmodum schema rotundationis in corpore efficitur, item quadrata designatio in eo invenietur. Nam si a pedibus imis ad summum caput mensum erit eaque mensura relata fuerit ad manus pansas, invenietur eadem latitudo uti altitudo, quemadmodum areae quae ad normam sunt quadratae.

[4] Ergo si ita natura composuit corpus hominis, uti proportionibus membra ad summam figurationem eius respondeant, cum causa constituisse videntur antiqui, ut etiam in operum perfectionibus singulorum membrorum ad universam figurae speciem habeant commensus exactionem. Igitur cum in omnibus operibus ordines traderent, maxime in aedibus deorum, operum et laudes et culpae aeternae solent permanere.



Lucius Annaeus SENECA Minor

Epistulae Morales 11

SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

[1] Locutus est mecum amicus tuus bonae indolis, in quo quantum esset animi, quantum ingenii, quantum iam etiam profectus, sermo primus ostendit. Dedit nobis gustum, ad quem respondebit; non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehensus. Ubi se colligebat, verecundiam, bonum in adulescente signum, vix potuit excutere; adeo illi ex alto suffusus est rubor. Hic illum, quantum suspicor, etiam cum se confirmaverit et omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. Nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum et ingenitum est lenitur arte, non vincitur. [2] Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit non aliter quam fatigatis et aestuantibus solet, quibusdam tremunt genua dicturis, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt: haec nec disciplina nec usus umquam excutit, sed natura vim suam exercet et illo vitio sui etiam robustissimos admonet. [3] Inter haec esse et ruborem scio, qui gravissimis quoque viris subitus affunditur. Magis quidem in iuvenibus apparet, quibus et plus caloris est et tenera frons; nihilominus et veteranos et senes tangit. Quidam numquam magis quam cum erubuerint timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint; [4] Sulla tunc erat violentissimus cum faciem eius sanguis invaserat. Nihil erat mollius ore Pompei; numquam non coram pluribus rubuit, utique in contionibus. Fabianum, cum in senatum testis esset inductus, erubuisse memini, et hic illum mire pudor decuit. [5] Non accidit hoc ab infirmitate mentis sed a novitate rei, quae inexercitatos, etiam si non concutit, movet naturali in hoc facilitate corporis pronos; nam ut quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati et mobilis et cito in os prodeuntis. [6] Haec, ut dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quaecumque attribuit condicio nascendi et corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, haerebunt; nihil horum vetari potest, non magis quam accersi. [7] Artifices scaenici, qui imitantur affectus, qui metum et trepidationem exprimunt, qui tristitiam repraesentant, hoc indicio imitantur verecundiam. Deiciunt enim vultum, verba summittunt, figunt in terram oculos et deprimunt: ruborem sibi exprimere non possunt; nec prohibetur hic nec adducitur. Nihil adversus haec sapientia promittit, nihil proficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt, iniussa discedunt.

[8] Iam clausulam epistula poscit. Accipe, et quidem utilem ac salutarem, quam te affigere animo volo: 'aliquis vir bonus nobis diligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus et omnia tamquam illo vidente faciamus.' [9] Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit; custodem nobis et paedagogum dedit, nec immerito: magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistit. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum qui non praesens tantum sed etiam cogitatus emendat! O felicem qui sic aliquem vereri potest ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest cito erit verendus. [10] Elige itaque Catonem; si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum Laelium. Elige eum cuius tibi placuit et vita et oratio et ipse animum ante se ferens vultus; illum tibi semper ostende vel custodem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant: nisi ad regulam prava non corriges. Vale.


SENECA LVCILIO SVO SALVTEM

[1] De liberalibus studiis quid sentiam scire desideras: nullum suspicio, nullum in bonis numero quod ad aes exit. Meritoria artificia sunt, hactenus utilia si praeparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim istis inmorandum est quamdiu nihil animus agere maius potest; rudimenta sunt nostra, non opera. [2] Quare liberalia studia dicta sint vides: quia homine libero digna sunt. Ceterum unum studium vere liberale est quod liberum facit, hoc est sapientiae, sublime, forte, magnanimum: cetera pusilla et puerilia sunt. An tu quicquam in istis esse credis boni quorum professores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis? Non discere debemus ista, sed didicisse.

Quidam illud de liberalibus studiis quaerendum iudicaverunt, an virum bonum facerent: ne promittunt quidem nec huius rei scientiam adfectant. [3] Grammaticae circa curam sermonis versatur et, si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam sternit? Syllabarum enarratio et verborum diligentia et fabularum memoria et versuum lex ac modificatio -- quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat? [4] Ad geometriam transeamus et ad musicen: nihil apud illas invenies quod vetet timere, vetet cupere. Quae quisquis ignorat, alia frustra scit.

* * * utrum doceant isti virtutem an non: si non docent, ne tradunt quidem; si docent, philosophi sunt. Vis scire quam non ad docendam virtutem consederint? aspice quam dissimilia inter se omnium studia sint: atqui similitudo esset idem docentium. [5] Nisi forte tibi Homerum philosophum fuisse persuadent, cum his ipsis quibus colligunt negent; nam modo Stoicum illum faciunt, virtutem solam probantem et voluptates refugientem et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem, modo Epicureum, laudantem statum quietae civitatis et inter convivia cantusque vitam exigentis, modo Peripateticum, tria bonorum genera inducentem, modo Academicum, omnia incerta dicentem. Apparet nihil horum esse in illo, quia omnia sunt; ista enim inter se dissident. Demus illis Homerum philosophum fuisse: nempe sapiens factus est antequam carmina ulla cognosceret; ergo illa discamus quae Homerum fecere sapientem. [6] Hoc quidem me quaerere, uter maioraetate fuerit, Homerus an Hesiodus, non magis ad rem pertinet quam scire, cum minor Hecuba fuerit quam Helena, quare tam male tulerit aetatem. Quid, inquam, annos Patrocli et Achillis inquirere ad rem existimas pertinere? [7] Quaeris Ulixes ubi erraverit potius quam efficias ne nos semper erremus? Non vacat audire utrum inter Italiam et Siciliam iactatus sit an extra notum nobis orbem (neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus): tempestates nos animi cotidie iactant et nequitia in omnia Ulixis mala inpellit. Non deest forma quae sollicitet oculos, non hostis; hinc monstra effera et humano cruore gaudentia, hinc insidiosa blandimenta aurium, hinc naufragia et tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem, quomodo patrem, quomodo ad haec tam honesta vel naufragus navigem. [8] Quid inquiris an Penelopa inpudica fuerit, an verba saeculo suo dederit? an Ulixem illum esse quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me quid sit pudicitia et quantum in ea bonum, in corpore an in animo posita sit.

[9] Ad musicum transeo. Doces me quomodo inter se acutae ac graves consonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum fiat concordia: fac potius quomodo animus secum meus consonet nec consilia mea discrepent. Monstras mihi qui sint modi flebiles: monstra potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem.



[10] Metiri me geometres docet latifundia potius quam doceat quomodo metiar quantum homini satis sit; numerare docet me et avaritiae commodat digitos potius quam doceat nihil ad rem pertinere istas computationes, non esse feliciorum cuius patrimonium tabularios lassat, immo quam supervacua possideat qui infelicissimus futurus est si quantum habeat per se computare cogetur. [11] Quid mihi prodest scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere? Quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri et comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus inpotens et aliquid ex meo abradens? Docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego discere volo quomodo totos hilaris amittam. 'Paterno agro et avito' inquit 'expellor.' [12] Quid? ante avum tuum quis istum agrum tenuit? cuius, non dico hominis, sed populi fuerit potes expedire? Non dominus isto, sed colonus intrasti. Cuius colonus es? si bene tecum agitur, heredis. Negant iurisconsulti quicquam usu capi publicum: hoc quod tenes, quod tuum dicis, publicum est et quidem generis humani. [13] O egregiam artem! scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcumque acceperis formam, intervalla siderum dicis, nihil est quod in mensuram tuam non cadat: si artifex es, metire hominis animum, dic quam magnus sit, dic quam pusillus sit. Scis quae recta sit linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras?

[14] Venio nunc ad illum qui caelestium notitia gloriatur:


*frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis caeli Cyllenius erret in orbes.*

Hoc scire quid proderit? ut sollicitus sim cum Saturnus et Mars ex contrario stabunt aut cum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno, potius quam hoc discam, ubicumque sunt ista, propitia esse nec posse mutari? [15] Agit illa continuus ordo factorum et inevitabilis cursus; per stas vices remeant et effectus rerum omnium aut movent aut notant. Sed sive quidquid evenit faciunt, quid inmutabilis rei notitia proficiet? sive significant, quid refert providere quod effugere non possis? Scias ista, nescias: fient.

*[16] Si vero solem ad rapidum stellasque sequentes
ordine respicias, numquam te crastina fallit
hora, nec insidiis noctis capiere serena.*

Satis abundeque provisum est ut ab insidiis tutus essem. [17] "Numquid me crastina non fallit hora? fallit enim quod nescienti evenit." Ego quid futurum sit nescio: quid fieri possit scio. Ex hoc nihil deprecabor, totum expecto: si quid remittitur, boni consulo. Fallit me hora si parcat, sed ne sic quidem fallit. Nam quemadmodum scio omnia accidere posse, sic scio et non utique casura; itaque secunda expecto, malis paratus sum.

[18] In illo feras me necesse est non per praescriptum euntem; non enim adducor ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios aut marmorarios aut ceteros luxuriae ministros. Aequae luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus; aut et unguentarios recipiam et cocos et ceteros voluptatibus nostris ingenia accommodantes sua. [19] Quid enim, oro te, liberale habent isti ieiuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in macie et veterno sunt? An liberale studium istuc esse iuventuti nostrae credimus, quam maiores nostri rectam exercuerunt hastilia iacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare? Nihil liberos suos docebant quod discendum esset iacentibus. Sed nec hae nec illae docent aluntve virtutem; quid enim prodest equum regere et cursum eius freno temperare, adfectibus effrenatissimis abstrahi? quid prodest multos vincere luctatione vel caestu, ab iracundia vinci?



[20] “Quid ergo? nihil nobis liberalia conferunt studia?” Ad alia multum, ad virtutem nihil; nam et hae viles ex professo artes quae manu constant ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. “Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus?” Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes sed mox percipiendis locum parat, sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem sed expediunt.



Marcus Fabius QUINTILIANUS

Institutiones Oratoriae. II.2

De moribus et officiis praeceptoris.


Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum a quibus sibi liberi tradantur existimet. [5] Ipse nec habeat uitia nec ferat. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sermo sit: nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit; minime iracundus, nec tamen eorum quae emendanda erunt dissimulator, simplex in docendo, patiens laboris, adsiduus potius quam inmodicus. [6] Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus nec effusus, quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. [7] In emendando quae corrigenda erunt non acerbus minimeque contumeliosus; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant quasi oderint. [8] Ipse aliquid, immo multa cotidie dicat quae secum auditores referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen uiua illa, ut dicitur, uox alit plenius, praecipueque praeceptoris quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant et uerentur. Vix autem dici potest quanto libentius imitemur eos quibus fauemus.

[9] Minime uero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, adsurgendi exultandique in laudando licentia: quin etiam iuuenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet ut ex iudicio praeceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte quod ab eo probabitur credat. [10] Illa uero uitiosissima, quae iam humanitas uocatur, inuicem qualiacumque laudandi cum est indecora et theatralis et seure institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis: superuacua enim uidentur cura ac labor parata quidquid effuderint laude.

II 3. An eminentissimo quoque praeceptore sit utendum.

[4] ...alter ille etiam frequentior, quod eos qui ampliorem dicendi facultatem sint consecuti non putant ad minora descendere, idque interim fieri quia fastidiant praestare hanc inferioribus curam, interim quia omnino non possint. [5] Ego porro eum qui nolit in numero praecipientium non habeo, posse autem maxime, si uelit, optimum quemque contendo: primum quod eum qui eloquentia ceteris praestet illa quoque per quae ad eloquentiam peruenitur diligentissime percepisse credibile est, [6] deinde quia plurimum in praecipiendo ualet ratio, quae doctissimo cuique plenissima est, postremo quia nemo sic in maioribus eminent ut eum minora deficiant: nisi forte Iouem quidem Phidias optime fecit, illa autem quae in ornamentum operis eius accedunt alius melius elaborasset, aut orator loqui nesciet aut leuiores morbos curare non poterit praestantissimus medicus.

[7] Quid ergo? non est quaedam eloquentia maior quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego uero confiteor: sed hunc disertum praeceptorem prudentem quoque et non ignarum docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis, ut uelocissimus quoque, si forte iter cum paruolo faciat, det manum et gradum suum minuatur nec procedat ultra quam comes possit. [8] Quid si plerumque accidit ut faciliora sint ad intellegendum et lucidiora multo quae a doctissimo quoque dicuntur? Nam et prima est eloquentiae uirtus perspicuitas, et, quo quis ingenio minus ualet, hoc se magis attollere et dilatare conatur, ut statura breues in digitos eriguntur et plura infirmi minantur. [9] Nam tumidos et corruptos et tinnulos et quocumque alio cacozeliae genere peccantes certum habeo non uirium sed infirmitatis uitio laborare, ut corpora non robore sed ualetudine inflantur, et recto itinere lassi plerumque deuertunt. Erit ergo etiam obscurior quo quisque deterior.



II 4. *De progymnasmatum schola.*

(...) [10] Ne illud quidem quod admoneamus indignum est, ingenia puerorum nimia interim emendationis seueritate deficere; nam et desperant et dolent et nouissime oderunt et, quod maxime nocet, dum omnia timent nihil conantur. [11] Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum uidentur et nondum cicatricem pati posse. [12] Iucundus ergo tum maxime debet esse praeceptor, ut remedia, quae alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quaedam, mutare etiam reddita cur id fiat ratione, inluminare interponendo aliquid sui. Nonnumquam hoc quoque erit utile, totas ipsum dictare materias, quas et imitetur puer et interim tamquam suas amet: [13] at si tam neglegens ei stilus fuerit ut emendationem non recipiat, expertus sum prodesse quotiens eandem materiam rursus a me retractatam scribere de integro iuberem: posse enim eum adhuc melius: quatenus nullo magis studia quam spe gaudent. [14] Aliter autem alia aetas emendanda est, et pro modo uirium et exigendum et corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius aut laetius laudare illud me adhuc, uenturum tempus quo idem non permetterem: ita et ingenio gaudebant et iudicio non fallebantur.


II V: *De lectione oratorum et historicorum. Qui primi legendi.*

[13] Neque solum haec ipse debet docere praeceptor, sed frequenter interrogare et iudicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit nec quae dicuntur superfluent aures: simul ad id perducentur quod ex hoc quaeritur, ut inueniant ipsi et intellegant. Nam quid aliud agimus docendo eos quam ne semper docendi sint? [14] Hoc diligentiae genus ausim dicere plus conlaturum discentibus quam omnes omnium artes, quae iuuant sine dubio multum, sed latiore quadam comprehensione per omnes quidem species rerum cotidie paene nascentium ire qui possunt? [15] Sicut de re militari quamquam sunt tradita quaedam praecepta communia, magis tamen proderit scire qua ducum quisque ratione in quali re tempore loco sit sapienter usus aut contra: nam in omnibus fere minus ualent praecepta quam experimenta.

II 8: *Secundum sui quemque ingenii naturam esse docendum.*

[1] Virtus praeceptoris haberi solet, nec inmerito, diligenter in iis quos erudiendos susceperit notare discrimina ingeniorum, et quo quemque natura maxime ferat scire. Nam est in hoc incredibilis quaedam uarietas, nec pauciores animorum paene quam corporum formae. [2] Quod intellegi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi ut nemo sit alteri similis, quamuis plurimi se ad eorum quos probabant imitationem composuerint. [3] Vtile deinde plerisque uisum est ita quemque instituere ut propria naturae bona doctrina fouerent, et in id potissimum ingenia quo tenderent adiuuarentur: ut si quis palaestrae peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium uenerit, expertus eorum omni modo corpus animumque discernat cui quisque certamini praeparandus sit, [4] ita praeceptorem eloquentiae, cum sagaciter fuerit intuitus cuius ingenium presso limatoque genere dicendi, cuius acri graui dulci aspero nitido urbano maxime gaudeat, [5] ita se commodaturum singulis ut in eo quo quisque eminent prouehatur, quod et adiuta cura natura magis eualescat et qui in diuersa ducatur neque in iis quibus minus aptus est satis possit efficere et ea in quae natus uidetur deserendo faciat infirmiora. (...)

[10] Neque ego contra naturam pugno: non enim deserendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque quod cessat. [11] An uero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri



bene dixisse quam discipuli bene docuisse testantur, cum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret, aut in illo lentiore tarditatem aut in illo paene praecipiti concitationem adiuuandam docendo existimauit, cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur? [12] Inbecillis tamen ingeniis sane sic obsequendum sit ut tantum in id quo uocat natura ducantur; ita enim quod solum possunt melius efficient. Si uero liberalior materia contigerit et in qua merito ad spem oratoris simus adgressi, nulla dicendi uirtus omittenda est. [13] Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, ceteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis in quibus eminebat, sicut ille, ne ab eodem exemplo recedamus, exercendi corpora peritus non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire uel calce tantum aut nexus modo atque in iis certos aliquos docebit, sed omnia quae sunt eius certaminis. Erit qui ex iis aliqua non possit: in id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt haec duo uitanda prorsus: [14] unum, ne temptes quod effici non possit, alterum, ne ab eo quod quis optime facit in aliud cui minus est idoneus transferas. At si fuerit qui docebitur ille, quem adulescentes senem uidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque, quorum utroque certamine isdem diebus coronabatur, inuictum. [15] Et quanto id magis oratoris futuri magistro prouidendum erit! Non enim satis est dicere presse tantum aut subtiliter aut aspere, non magis quam phonasco acutis tantum aut mediis aut grauibus sonis aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est nisi ab imo ad summum omnibus intenta neruis consentiat.

II 9. *De officio discipulorum.*

Plura de officiis docentium locutus discipulos id unum interim moneo, ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament et parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas conferet studio; nam ita et libenter audient et dictis credent et esse similes concupiscent, in ipsos denique coetus scholarum laeti alacres conuenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles: alioqui neutrum sine altero sufficit; et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur.



Gaius SUETONIUS Tranquillus

De Vita Neronis.


20. *De Nerone iam adulto in re musica educato.*

1 Inter ceteras disciplinas pueritiae tempore imbutus et musica, statim ut imperium adeptus est, Terpnium citharoedum vigentem tunc praeter alios arcessiit diebusque continuis post cenam canenti in multam noctem assidens paulatim et ipse meditari exerceri que coepit neque eorum quicquam omittere, quae generis eius artifices vel conservandae vocis causa vel augendae factitarent; sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere et clystere vomituque purgari et abstinere pomis cibisque officientibus; donec blandiente profectu, quamquam exiguae vocis et fuscae, prodire in scaenam concupiit, subinde inter familiares Graecum proverbium iactans occultae musicae nullum esse respectum. 2 Et prodit Neapoli primum ac ne concusso quidem repente motu terrae theatro ante cantare destitit, quam incohatum absolveret nomon. Ibidem saepius et per complures cantavit dies; sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balineis in theatrum transiit mediaque in orchestra frequente populo epulatus, si paulum subbibisset, aliquid se sufferti 16 tinniturum Graeco sermone promisit. 3 Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo com meatu Neapolim confluerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adulescentulos equestris ordinis et quinque amplius milia e plebe robustissimae iuventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent — bombos et imbrices et testas vocabant — operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma et excellentissimo cultu, puris ac sine anulo laevis, quorum duces quadringena milia sestertia merebant.

De Grammaticis

[1] Grammatica Romae ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre extitit, siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et semigraeci erant, (Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est) nihil amplius quam Graecos interpretabantur, aut si quid ipsi Latine composuissent praelegebant. Nam quod nonnulli tradunt duos libros de litteris syllabisque, item de metris ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poetae sed posterioris Ennii esse, cuius etiam de augurandi disciplina volumina ferantur.

[2] Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium Punicum bellum sub ipsam Ennii mortem, cum regione Palatii prolapsus in cloacae foramen crus fregisset, per omne legationis simul et valitudinis tempus plurimas acroasis subinde fecit assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent; ut Caius Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros: ut postea Quintus Vargunteius *Annales* Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus



Vettiasque Philocomus Lucilii satyras familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.

[3] Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam Lucius Aelius Lanuvinus generque Aelii Ser. Cloduis, uterque eques Ro. multique ac varii et in doctrina et in re publica usus. Aelius cognomine duplici fuit; nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat; tantus optimatum fautor, ut Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Servius cum librum soceri nondum editum fraude interceptisset, et ob hoc repudiatus pudore ac taedio secessisset ab urbe, in podagrae morbum incidit; cuius impatiens veneno sibi perunxit pedes et enecuit ita, ut parte ea corporis quasi praemortua viveret.

Posthac magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinerint quo minus et ipsi aliquid de ea scriberent, utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholae fuisse in urbe tradantur; pretia vero grammaticorum tanta mercedesque tam magnae, ut constet Lutatium Daphnidem, quem Laevius Melissus per cavillationem nominis Panos agasma dicit, DCC milibus nummum a Quinto Metello Catulo emptum ac brevi manumissum, Lucium Apuleium ab Efcio Calvino equite Romano praedivite quadringenis annuis conductos multos edoceret. Nam in provincias quoque grammatica penetraverat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata; inter quos Octavius Teucer et Pescennius Iaccus et Oppius Chares; hic quidem ad ultimam aetatem, et cum iam non ingressu modo deficeretur sed et visu.

[4] Appellatio grammaticorum Graeca consuetudine invaluit; sed initio litterati vocabantur. Cornelius quoque Nepos libello quo distinguit litteratum ab erudito, litteratos quidem vulgo appellari ait eos qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere, ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Graecis grammatici nominentur. Eisdem litteratores vocitatos Messala Corvinus in quadam epistola ostendit, non esse sibi dicens rem cum Furio Bibaculo, ne cum Ticide quidem aut litteratore Catone; significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul grammaticumque notissimum. Sunt qui litteratum a litteratore distinguant, ut Graeci grammaticum a grammata, et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat; namque apud maiores ait, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris, sed imbutum.

Veteres grammatici et rhetoricam docebant, ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quanquam iam discretis professionibus, nihilo minus vel retinuisse vel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. Quae quidem omitti iam video, desidia quorundam et infantia; non enim fastidio putem. Me quidem adolescentulo, repeto quendam Principem nomine alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum. Audiebam etiam, memoria patrum quosdam e grammatici statim ludo transisse in forum atque in numerum praestantissimorum patronorum receptos.



Lucius APULEIUS Madaurensis

Florida 10.4.2 15

[15] Samos Icario in mari modica insula est, exaduersum Miletos,2 ad occidentem eius sita nec ab ea multo pelagi dispescitur: utramuis clementer nauigantem dies alter in portu sistit. ager frumento piger, aratro inritus, fecundior oliueto, nec uinatori nec holeris cultori culpatur. ruratio omnis in sarculo et surculo, quorum prouentu magis fructuosa insula est quam frugifera. ceterum et incolis frequens et hospitibus celebrata.

oppidum habet, nequaquam pro gloria, sed quod fuisse amplum semiruta moenium multifariam indicant. enimuero fanum Iunonis antiquitus famigeratum; id fanum secundo litore, si recte recordor uiam, uiginti haud amplius stadia oppido abest. ibi donarium deae perquam opulentum: plurima auri et argenti ratio in lancibus, speculis, poculis et cuiuscemodi utensilibus; magna etiam uis aeris uario e giatu, ueterrimo et spectabili opere.

uel inde ante aram Bathylli statua a Polycrate tyranno dicata, qua nihil uideor e ectius cognouisse; quidam Pythagorae eam falso existimant. adulescens est uisenda pulchritudine, crinibus a fronte parili separatu per malas remulsis, pone autem coma proluxior interlucentem ceruicem scapularum nibus obumbrat, ceruix suci plena, malae uberes, genae teretes, at medio mento lacullatura, eique prorsus citharoedicus status: deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis uariegam deorsus ad pedes deiectam ipsos, Graecanico cingulo, chlamyde uelat utrumque brachium ad usque articulos palmarum, cetera decoris istriis dependent; cithara balteo caelato apta strictim sustinetur; manus eius tenerae, procerulae: laeua distantibus digitis neruos molitur, dextra psallentis gestu pulsabulum citharae admouet, ceu parata percutere, cum uox in cantico interquieuit; quod interim canticum uidetur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare.



Decimus Magnus AUSONIUS

Epigrammata

Epig. 9: IN STATUAM EIUSDEM RHETORIS

RHETORIS haec Rufi statua est: nil verius: ipse est,
ipse, adeo linguam non habet et cerebrum.
et riget et surda est et non videt: haec sibi constant;
unum dissimile est: mollior ille fuit.

Epig. 22: AD MARCUM AMICUM DE DISCORDIA QUAM DARET CUM PUELLIS

“HANC amo quae me odit. contra illam quae me amat, odi.
compone inter nos, si potes, alma Venus!”
“Perfacile id faciam: mores mutabo et amores;
oderit haec, amet haec.” “Rursus idem patiar.”
“Vis ambas ut ames?” “Si diligat utraque, vellem.”
“Hoc tibi tu praesta, Marce: ut amens, ama.”

Epig. 32

IN ECHO PICTAM

Vane, quid adfectus faciem mihi ponere, pictor,
ignotamque oculis sollicitare deam?
Aeris et Linguae sum filia, mater inanis
indicii, vocem quae sine mente gero.
extremos pereunte modos a fine reducens,
ludificata sequor verba aliena meis.
auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
et, si vis similem pingere, pingere sonum.

Epig. 34

AD GALEAM PUELLAM IAM SENESCENTEM

DICEBAM tibi: “Galla, senescimus; effugit aetas,
utere rene tuo: casta puella anus est.”
sprevisi. obrepsit non intellecta senectus
nec revocare potes, qui periere, dies.
nunc piget et querens, quod non aut ista voluntas
tunc fuit, aut non est nunc ea forma tibi.
da tamen amplexus oblitaque gaudia iunge
da: fruar, et si non quod volo, quod volui.



Epig. 64

DE PALLADE VOLENTE CERTARE ARMIS CUM
VENERE

ARMATAM vidit Venerem Lacedaemone Pallas.
“Nunc certemus,” ait, “iudice vel Paride.”
cui Venus: “Armatam tu me, temeraria, temnis,
quae, quo te vici tempore, nuda fui?”

Epig. 67

DE IMAGINE VENERIS SCULPTA A PRAXITELF

VERA Venus Gnidiam cum vidit Cyprida dixit:
“Vidisti nudam me, puto, Praxitele.”
“Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus.
ferrum Gradivi Martis in arbitrio,
qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren,
talem fecerunt ferrea caela deam.”



Eusebius Sophronius HIERONYMUS

Epistula XXII Ad Eustochium 30, 3

Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter caelorum me regna castrassem et Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras uigilias, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis uisceribus eruebat, Plautus sumebatur in manibus. Si quando in memet reuersus prophetam legere coepissem, sermo horrebat incultus et, quia lumen caecis oculis non uidebam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis.

Dum ita me antiquus serpens inluderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris corpus inuasit exhaustum et sine ulla requie – quod dictu quoque incredibile sit – sic infelicia membra depasta est, ut ossibus uix haererem. Interim parabantur exsequiae, et uitalis animae calor toto frigente iam corpore in solo tantum tepente pectusculo palpitabat, cum subito raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantum luminis et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus condicionem Christianum me esse respondi. Et ille qui residebat: “Mentiris,” ait, “Ciceronianus es, non christianus: ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum.”

Ilico obmutui et inter uerbera – nam caedi me iusserat – conscientiae magis igne torquebar illum mecum uersiculum reputans: “in inferno autem quis confitebitur tibi?” Clamare tamen coepi et eiulans dicere: “Miserere mei, Domine, miserere mei.” Haec uox inter flagella resonabat. Tandem ad praesidentis genua prouoluti, qui adstiterant precabantur ut ueniam tribueret adolescentiae, ut errori locum paenitentiae commodaret exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui tanto constrictus articulo uellem etiam maiora promittere, deiurare coepi et nomen eius obtestans dicere: “Domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, te negaui.” In haec sacramenti uerba dimissus reuertor ad superos et mirantibus cunctis oculos aperio tanto lacrimarum imbri perfusus, ut etiam incredulis fidem facerent ex dolore. Nec uero sopor ille fuerat aut uana somnia, quibus saepe deludimur. Teste est tribunal, ante quod iacui, iudicium teste est quod timui – ita mihi numquam contingat talem incidere quaestionem! –, liuentes habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum et tanto dehinc studio diuina legisse, quanto mortalia ante non legeram.



Aurelius AUGUSTINUS Hipponensis

Confessiones


1.13.19 In ipsa tamen pueritia, de qua mihi minus quam de adolescentia metuebatur, non amabam litteras et me in eas urgeri oderam, et urgebar tamen et bene mihi fiebat. nec faciebam ego bene (non enim discerem nisi cogerer; nemo autem invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit), nec qui me urgebant bene faciebant, sed bene mihi fiebat abs te, deus meus. illi enim non intuebantur quo referrem quod me discere cogebant, praeterquam ad satiandas insatiabiles cupiditates copiosae inopiae et ignominiosae gloriae. tu vero, cui numerati sunt capilli nostri, errore omnium qui mihi instabant ut discerem utebaris ad utilitatem meam, meo autem, qui discere nolebam, utebaris ad poenam meam, qua plecti non eram indignus, tantillus puer et tantus peccator. ita de non bene facientibus tu bene faciebas mihi et de peccante me ipso iuste retribuebas mihi. iussisti enim et sic est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus.

20 quid autem erat causae cur graecas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar? ne nunc quidem mihi satis exploratum est. adamaveram enim latinas, non quas primi magistri sed quas docent qui grammatici vocantur. nam illas primas, ubi legere et scribere et numerare discitur, non minus onerosas poenalesque habebam quam omnes graecas. unde tamen et hoc nisi de peccato et vanitate vitae, qua caro eram et spiritus ambulans et non revertens? nam utique meliores, quia certiores, erant primae illae litterae quibus fiebat in me et factum est et habeo illud ut et legam, si quid scriptum invenio, et scribam ipse, si quid volo, quam illae quibus tenere cogebam Aeneae nescio cuius errores, oblitus errorum meorum, et plorare Didonem mortuam, quia se occidit ab amore, cum interea me ipsum in his a te morientem, deus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus.

21 quid enim miserius misero non miserante se ipsum et flente Didonis mortem, quae fiebat amando Aenean, non flente autem mortem suam, quae fiebat non amando te, deus, lumen cordis mei et panis oris intus animae meae et virtus maritans mentem meam et sinum cogitationis meae? non te amabam, et fornicabar abs te, et fornicanti sonabat undique: ‘euge! euge!’ amicitia enim mundi huius fornicatio est abs te et ‘euge! euge!’ dicitur ut pudeat, si non ita homo sit. et haec non flebam, et flebam Didonem extinctam ferroque extrema secutam, sequens ipse extrema condita tua relicto te et terra iens in terram. et si prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem quod dolerem. tali dementia honestiores et uberiores litterae putantur quam illae quibus legere et scribere didici.

22 peccabam ergo puer cum illa inania istis utilioribus amore praeponerem, vel potius ista oderam, illa amabam. iam vero unum et unum duo, duo et duo quattuor, odiosa cantio mihi erat, et dulcissimum spectaculum vanitatis, equus ligneus plenus armatis et Troiae incendium atque ipsius umbra Creusae.

14.23 cur ergo graecam etiam grammaticam oderam talia cantantem? nam et Homerus peritus texere tales fabellas et dulcissime vanus est, mihi tamen amarus erat puero. credo etiam graecis pueris Vergilius ita sit, cum eum sic discere coguntur ut ego illum. videlicet difficultas, difficultas omnino ediscendae linguae peregrinae, quasi felle aspergebat omnes suavitates graecas fabulosarum narrationum. nulla enim verba illa noveram, et saevis terroribus ac poenis ut nossem instabatur mihi vehementer. nam et latina aliquando infans utique nulla noveram, et tamen advertendo didici sine ullo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricum et ioca adridentium et laetitias adludentium. didici vero illa sine poenali onere urgentium, cum me urgeret cor meum ad parienda concepta sua, † et qua † non esset, nisi aliqua verba didicissem non a docentibus sed a loquentibus, in quorum et ego auribus



parturiebam quidquid sentiebam. hinc satis elucet maiorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatem quam meticulosam necessitatem. sed illius fluxum haec restringit legibus tuis, deus, legibus tuis a magistrorum ferulis usque ad temptationes martyrum, valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines revocantes nos ad te a iucunditate pestifera qua recessimus a te.

17.27 sine me, deus meus, dicere aliquid et de ingenio meo, munere tuo, in quibus a me deliramentis atterebatur. proponebatur enim mihi negotium, animae meae satis inquietum praemio laudis et dedecoris vel plagarum metu, ut dicerem verba Iunonis irascentis et dolentis quod non posset Italia Teucrorum avertere regem, quae numquam Iunonem dixisse audieram. sed figmentorum poeticorum vestigia errantes sequi cogebamur, et tale aliquid dicere solutis verbis quale poeta dixisset versibus. et ille dicebat laudabilius in quo pro dignitate adumbratae personae irae ac doloris similior affectus eminebat, verbis sententias congruenter vestientibus. ut quid mihi illud, o vera vita, deus meus, quod mihi recitanti adclamabatur prae multis coetaneis et conlectoribus meis? nonne ecce illa omnia fumus et ventus? itane aliud non erat ubi exerceretur ingenium et lingua mea? laudes tuae, domine, laudes tuae per scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, et non raperetur per inania nugarum turpis praeda volatilibus. non enim uno modo sacrificatur transgressoribus angelis.



MARTIANUS Minneus Felix CAPELLA

De nuptiis Philologiae et Mercurii 2.134-141

De artibus liberalibus natis.

Ante hanc quaedam augustioris uultus femina ac sacro lumine aethereque resplendens uenerabili antistitio praeminebat: quam cum omnes qui affuere conspicerent, reueriti inclitam maiestatem ut deorum omnium mundique custodem: huic Athanasiae nomen fuit. Et “Heus.” inquit “uirgo, praecepit deorum pater hac regali lectica in caeli palatia subueharis, quam quidem nulli fas atrectare terrigenae, sed ne tibi quidem, si ante nostrum poculum, licet.”

Et cum dicto leniter dextra cordis eius pulsum pectusque pertractat ac nescio qua intima plenitudine distentum magno cum turgore respiciens “ni haec – inquit – quibus plenum pectus geris, coactissima egestionem uomueris forasque diffuderis, immortalitatis sedem nullatenus obtinebis.” At illa omni nisu magnaue ui quicquid intra pectus semper senserat euomebat.


Tunc uero illa nausea ac uomitio laborata in omnigenum copias conuertitur litterarum. Cernere erat qui libri quantaue uolumina quot linguarum opera ex ore uirginis diffluebant. Alia ex papyro, quae cedro perlita fuerat, uidebantur, alii carbasinis uoluminibus implicati libri ex ouillis multi quoque tergoribus, rari uero in philyrae cortice subnotati.

Erantque quidam sacra nigredine colorati, quorum litterae animantum credebantur effigies, quasque librorum notas Athanasia conspiciens quibusdam eminentibus saxis iussit adscribi atque intra specum per Aegyptiorum adyta collocari, eademque saxa stelas appellans deorum stemmata praecepit continere.

Sed tum talia uirgo undanter euomeret, puellae quamplures, quarum Artes aliae, alterae dictae sunt Disciplinae, subinde, quae ex ore uirgo effuderat colligebant in suum unaquaque illarum necessarium usum facultatemque corripiens. Ipsae etiam Musae, praesertim Uranie Calliopeque, innumera gremio congesse uolumina. In aliis quippe distinctae ad tonum ac deductae paginae, in aliis circuli lineaeque hemisphaeriaque cum trigonis et quadratis multiangulaeque formae pro theorematum uel elementorum diuersitate formatae; dehinc pictura animalium membra multigenum in unam speciem complicabat. Erant etiam libri qui sonorum mela signaque numerorum et cantandi quaedam opera praeferebant.

Postquam igitur illam bibliothecalem copiam nixa imi[ta]tus uirgo diffudit, exhausto pallore confecta Athanasiae opem, quae tanti laboris conscia fuerat, postulauit. Tum illa: “Ut refectior caelum sublimisque conscendas, hoc tibi accipe sorbillandum.”

Ac tunc matri Apotheosi, quae cum illa forte conuenerat et iam pridem libros, qui ex Philologiae ore defluerant, manu contingens ac dinumerans consecrabat, auferens quandam globosam animatamque rotunditatem sumit ac uirgini porrigit hauriendam. Verum ipsa species oui interioris crocino circumlita exterius rutilabat ac dehinc perlucida inanitate albedoque humore, interiore tamen medio solidior apparebat. Quam cum Philologia susciperet,



quoniam post tanti laboris afflictationes aestusque mentis plurimum sitiebat, reseratis eius rotunditatis arcanis, postquam rem dulcissimam comperit, totam incunctanter exhaustit:

*continuoque nouo solidantur membra uigore,
et gracilentia perit macies, uis terrea cedit
aethereumque uenit sine mortis legibus aeuum.*

Verum diua cum immortalitatis eam poculum cerneret ebibisse, quo e terris illam caelum pergere immortalemque factam uelut aenigmate redimiculi perdoceret, ex herba quadam rurestri, cui ἀείζωος uocabulum est, uirginem coronauit praeciens omnia, quae adhuc mortalis aduersum uim superam in praesidium coaptarat, expelleret, quippe caducae mortalisque substantiae istaec esse minima memorabat. Quae quidem omnia eidem mater abstraxit, postquam eam mundana transcendisse studia recognouit.



HROSWITHA Gandersheimensis

Dulcitius

[S c a e n a I I]

Dulcitius: producite, | milites, producite, | quas tenetis in carcere! |
Milites: ecce, quas vocasti!
Dulcitius: papae! quam pulchrae, | quam venustae, | quam egregiae puellulae! |
Milites: perfecte decorae. |
Dulcitius: captus sum illarum specie. |
Milites: credibile. |
Dulcitius: exaestuo illas ad mei amorem trahere. |
Milites: diffidimus te praevalere. |
Dulcitius: quare? |
Milites: quia stabiles fide. |
Dulcitius: quid, si suadeam blandimentis? |
Milites: contempnunt. |
Dulcitius: quid, si terream suppliciis? |
Milites: parvi pendunt. |
Dulcitius: et quid fiet?
Milites: praecogita.
Dulcitius: ponite illas in custodiam | in interiorem officinae aedem, |
in cuius proaulio ministrorum servantur vasa.
Milites: ut quid eo loci? |
Dulcitius: quo a me saepiuscule possint visitari. |
Milites: ut iubes.

[S c a e n a I I I]

Dulcitius: quid agant captivae | sub hoc noctis tempore?
Milites: vacant hymnis. |
Dulcitius: accedamus propius. |
Milites: tinnulae sonitum vocis | a longe audiemus. |
Dulcitius: observate pro foribus cum lucernis, | ego autem intrabo | et vel optatis amplexibus me saturabo. |
Milites: intra, praestolabimur.

[S c a e n a I V]

Agapes. quid strepat pro foribus?
Hirena: infelix Dulcitius ingreditur. |
Chionia: deus nos tueatur! |
Agapes. amen.



Chionia: quid sibi vult collisio ollarum, | caccaborum et sartaginum? |

Hirena: lustrabo. | accedite, | quaeso, | per rimulas perspicite! |

Agapes. quid est?

Hirena: ecce, iste stultus, | mente alienatus, | aestimat se nostris uti amplexibus. |

Agapes. quid facit?

Hirena: nunc ollas molli fovet gremio, nunc sartagine et caccabos amplectitur, mitia libans oscula.

Chionia: ridiculum.

Hirena: nam facies, manus ac vestimenta | adeo sordidata, | adeo coinquinata, | ut nigredo, quae inhaesit, | similitudinem Aethiopsis exprimit. |

Agapes. decet, ut talis appareat corpore, | qualis a diabolo possidetur in mente. |

Hirena: en, parat regredi. intendamus, quid illo egrediente agant milites | pro foribus expectantes. |

[S c a e n a V]

Milites: quis hic egreditur? daemonicus. | vel magis ipse diabolus. | fugiamus! |

Dulcitus: milites, quo fugitis ? state, | expectate; | ducite me | cum lucernis ad cubile. |

Milites: vox senioris nostri, | sed imago diaboli. | non subsistamus, | sed fugam maturemus: | fantasma vult nos pessumdare.

Dulcitus: ad palatium ibo | et, quam abiectioem patior, principibus vulgabo. |

[S c a e n a V I]

Dulcitus: hostiarii, introducite me in palatium, | quia ad imperatorem habeo secretum. |

Ostiarii: quid hoc vile ac detestabile monstrum, | scissis et nigellis panniculis obsitum? | pugnis tundamus, | de gradu praecipitemus, | nec ultra huc detur liber accessus. |

Dulcitus: vae, vae! quid contigit? | nonne splendidissimis vestibus indutus | totoque corpore videor nitidus? | et quicumque me aspicit, | velut horrible monstrum fastidit! | ad coniugem revertar, | quo ab illa, quid actum sit, experiar. | en, solutis crinibus egreditur, | omnisque domus lacrimis prosequitur! |

[S c a e n a V I I]

Coniunx: heu, heu! mi senior Dulciti, quid pateris? | non es sanae mentis. factus es in derisum christicolis. |

Dulcitus: nunc tandem sentio, me illum illarum maleficiis. |

Coniunx: hoc me vehementer confudit, | hoc praecipue contristavit, | quod, quid patiebaris, ignorasti.

Dulcitus: mando, ut lascivae | praesententur puellae | et abstractis vestibus publice denudentur, | quo versa vice, quid nostra possint ludibria, experiantur. |

[S c a e n a V I I I]

Milites: frustra sudamus, | in vanum laboramus: | ecce, vestimenta | virgineis corporibus inhaerent velut coria; | sed et ipse, qui nos ad expoliandum urgebat, praeses stertit sedendo | nec ullatenus excitari potest a somno. | ad imperatorem adeamus | ipsique <seriem> rerum, quae geruntur, propalemus. |



Petrus ABAELARDUS

Historia Calamitatum

De loco nativitatis eius.

Ego igitur, oppido quodam oriundus quod in ingressu minoris Britannie constructum, ab urbe Namnetica versus orientem octo credo miliariis remotum, proprio vocabulo Palatium appellatur, sicut natura terre mee vel generis animo levis, ita et ingenio extiti et ad litteratoriam disciplinam facilis. Patrem autem habebam litteris aliquantulum imbutum antequam militari cingulo insigniretur; unde postmodum tanto litteras amore complexus est, ut quoscumque filios haberet, litteris antequam armis instrui disponderet. Sicque profecto actum est. Me itaque primogenitum suum quanto cariorum habebat tanto diligentius erudiri curavit. Ego vero quanto amplius et facilius in studio litterarum profeci tanto ardentius eis inhesi, et in tanto earum amore illectus sum ut militaris glorie pompam cum hereditate et prerogativa primogenitorum meorum fratribus derelinquens, Martis curie penitus abdicarem ut Minerve gremio educarer; et quoniam dialecticarum rationum armaturam omnibus philosophie documentis pretuli, his armis alia commutavi et tropheis bellorum conflictus pretuli disputationum. Proinde diversas disputando perambulans provincias, ubicunque huius artis vigere studium audieram, peripateticorum emulor factus sum.


De persecutione magistri sui Guillhelmi in eum.

Perveni tandem Parisiis, ubi iam maxime disciplina hec florere consueverat, ad Guillhelmum scilicet Campellensem preceptorem meum in hoc tunc magisterio re et fama precipuum; cum quo aliquantulum moratus, primo ei acceptus, postmodum gravissimus extiti, cum nonnullas scilicet eius sententias refellere conarer et ratiocinari contra eum sepius aggrederer et nonnumquam superior in disputando viderer. Quod quidem et ipsi qui inter conscolares nostros precipui habebantur tanto maiori sustinebant indignatione quanto posterior habebam etatis et studii tempore. Hinc calamitatum mearum, que nunc usque perseverant, ceperunt exordia, et quo amplius fama extendebatur nostra, aliena in me succensa est invidia.

Factum tandem est ut, supra vires etatis de ingenio meo presumens, ad scholarum regimen adolescentulus aspirarem, et locum in quo id agerem providerem, insigne videlicet tunc temporis Meliduni castrum et sedem regiam. Presensit hoc predictus magister meus, et quo longius posset scholas nostras a se remove conatus, quibus potuit modis latenter machinatus est ut priusquam a suis recederem scholis, nostrarum preparationem scholarum prepediret et provisum mihi locum auferret. Sed quoniam de potentibus terre nonnullos ibidem habebat emulos, fretus eorum auxilio voti mei compos extiti, et plurimorum mihi assensum ipsius invidia manifesta acquisivit.

Ab hoc autem scholarum nostrarum tirocinio ita in arte dialetica nomen meum dilatari cepit, ut non solum condiscipulorum meorum, verum etiam ipsius magistri fama contracta paulatim extingueretur. Hinc factum est ut de me amplius ipse presumens ad castrum Corbolii, quod Parisiace urbi vicinius est, quamtotius scholas nostras transferrem, ut inde videlicet crebriores disputationis assultus nostra daret importunitas. Non multo autem interiecto tempore, ex immoderata studii afflictione correptus infirmitate coactus sum repatriare, et per annos aliquot a Francia remotus, querebar ardentius ab his quos dialetica sollicitabat doctrina.

Elapsis autem paucis annis, cum ex infirmitate iam dudum convaluissem, preceptor meus ille Guillhelmus Parisiacensis archidiaconus, habitu pristino commutato, ad regularium clericorum ordinem se convertit; ea ut




referebant intentione ut quo religiosior crederetur ad maioris prelationis gradum promoveretur, sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi episcopo facto. Nec tamen hic sue conversionis habitus aut ab urbe Parisius aut a consueto philosophie studio revocavit, sed in ipso quoque monasterio ad quod se causa religionis contulerat statim more solito publicas exercuit scholas. Tum ego ad eum reversus ut ab ipso rethoricam audirem, inter cetera disputationum nostrarum conamina antiquam eius de universalibus sententiam patentissimis argumentorum rationibus ipsum commutare, immo destruere compuli. Erat autem in ea sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse astrueret individuus, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas sed sola multitudine accidentium varietas. Sic autem istam tunc suam correxit sententiam, ut deinceps rem eandem non essentialiter sed indifferenter diceret. Et quoniam de universalibus in hoc ipso precipua semper est apud dialecticos questio ac tanta ut eam Porphyrius quoque in Ysagogis suis cum de universalibus scriberet definire non presumeret dicens “Altissimum enim est huiusmodi negotium,” cum hanc ille correxerit immo coactus dimiserit sententiam, in tantam lectio eius devoluta est negligentiam, ut iam ad cetera dialectice vix admitteretur quasi in hac scilicet de universalibus sententia tota huius artis consisteret summa.

Hinc tantum roboris et auctoritatis nostra suscepit disciplina, ut hii qui antea vehementius magistro illi nostro adherebant et maxime nostram infestabant doctrinam, ad nostras convolarent scholas, et ipse qui in scholis Parisiace sedis magistro successerat nostro locum mihi suum offerret, ut ibidem cum ceteris nostro se traderet magisterio ubi antea suus ille et noster magister floruerat. Paucis itaque diebus ibi me dialectice studium regente, quanta invidia tabescere, quanto dolore estuare ceperit magister noster non est facile exprimere; nec concepte miserie estum diu sustinens, callide aggressus est me tunc etiam remove. Et quia in me quid aperte ageret non habebat, ei scholas auferre molitus est, pessimis obiectis criminibus, qui mihi suum concesserat magisterium, alio quodam emulo meo ad officium eius substituto.

Tunc ego Melidunum reversus scholas ibi nostras sicut antea constitui; et quanto manifestius eius me persequabatur invidia tanto mihi auctoritatis amplius conferebat iuxta illud poeticum, “Summa petit livor, perflant altissima venti.”

Non multo autem post, cum ille intelligeret omnes fere discretos de religione eius plurimum hesitare et de conversione ipsius vehementer susurrare, quod videlicet minime a civitate recessisset, transtulit se et conventiculum fratrum cum scholis suis ad villam quandam ab urbe remotam. Statimque ego Meliduno Parisius redii, pacem ab illo ulterius sperans. Sed quia ut diximus locum nostrum ab emulo nostro fecerat occupari, extra civitatem in monte Sancte Genovefe scholarum nostrarum castra posui, quasi eum obsessurus qui locum occupaverat nostrum. Quo audito magister noster statim ad urbem impudenter rediens scholas quas tunc habere poterat et conventiculum fratrum ad pristinum reduxit monasterium, quasi militem suum quem dimiserat ab obsidione nostra liberaturus. Verum cum illi prodesse intenderet maxime nocuit. Ille quippe antea aliquos habebat qualescunque discipulos, maxime propter lectionem Prisciani in qua plurimum valere credebatur. Postquam autem magister advenit, omnes penitus amisit; et sic a regimine scholarum cessare compulsus est. Nec post multum tempus, quasi iam ulterius de mundana desperans gloria, ipse quoque ad monasticam conversus est vitam. Post reditum vero magistri nostri ad urbem, quos conflictus disputationum scholares nostri tam cum ipso quam cum discipulis eius habuerint, et quos fortuna eventus in his bellis dederit nostris, immo mihi ipsi in eis, te quoque res ipsa dudum edocuit. Illud vero Aiakis, ut temperantius loquar, audacter proferam, “Si queritis huius Fortunam pugne, non sum superatus ab illo.” Quod si ego taceam, res ipsa clamat et ipsius rei finis indicat.



Dum vero hec agerentur, karissima mihi mater mea Lucia repatriare me compulit; que videlicet post conversionem Berengarii patris mei ad professionem monasticam, idem facere disponebat. Quo completo reversus sum in Franciam, maxime ut de divinitate addiscerem, quando iam sepefatus magister noster Guillhelmus in episcopatu Catalaunensi pollebat. In hac autem lectione magister eius Anselmus Laudunensis maximam ex antiquitate auctoritatem tunc tenebat.

Quando Laudunum venit ad Magistrum Anselmum.

Accessi igitur ad hunc senem, cui magis longevus usus quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad quem si quis de aliqua questione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem in oculis erat auscultantium, sed nullus in conspectu questionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensum contentibilem et ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat. Arbor eius tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur. Ad hanc itaque cum accessissem ut fructum inde colligerem, deprehendi illam esse ficulneam cui maledixit Dominus, seu illam veterem quercum cui Pompeium Lucanus comparat dicens, “Stat, magni nominis umbra, Qualis frugifero quercus sublimis in agro,” etc.

Hoc igitur comperto non multis diebus in umbra eius ociosus iacui; paulatim vero me iam rarius et rarius ad lectiones eius accedente, quidam tunc inter discipulos eius eminentes graviter id ferebant, quasi tanti magistri contemptor fierem. Proinde illum quoque adversum me latenter commoventes, pravis suggestionibus ei me invidiosum fecerunt. Accidit autem quadam die ut post aliquas sententiarum collationes nos scolares invicem iocaremur. Ubi cum me quidam animo intemptantis interrogasset quid mihi de divinorum lectione librorum videretur, qui nondum nisi in philosophicis studueram, respondi: saluberrimum quidem huius lectionis esse studium ubi salus anime cognoscitur, sed me vehementer mirari quod his qui litterari sunt ad expositiones sanctorum intelligendas ipsa eorum scripta vel glose non sufficiunt, ut alio scilicet non egeant magisterio. Irridentes plurimi qui aderant an hoc ego possem et aggredi presumerem requisierunt. Respondi me id si vellent experiri paratum esse. Tunc inclamantes et amplius irridentes: “Certe, inquit, et nos assentimus. Queratur itaque et tradatur vobis expositor alicuius inusitate scripture, et probemus quod vos promittitis.” Et consenserunt omnes in obscurissima Hiezechielis prophetia. Assumpto itaque expositore statim in crastino eos ad lectionem invitavi. Qui invito mihi consilium dantes, dicebant ad rem tantam non esse properandum, sed diutius in expositione rimanda et firmanda mihi hanc inexperto vigilandum. Indignatus autem respondi non esse mee consuetudinis per usum proficere sed per ingenium; atque adieci vel me penitus desitutum esse, vel eos pro arbitrio meo ad lectionem accedere non differre. Et prime quidem lectioni nostre pauci tunc interfuere, quod ridiculum omnibus videretur me adhuc quasi penitus sacre lectionis expertem id tam propere aggredi. Omnibus tamen qui affuerunt in tantum lectio illa grata exitit ut eam singulari preconio extollerent, et me secundum hunc nostre lectionis tenorem ad glosandum compellerent. Quo quidem audito, hii qui non interfuerant ceperunt ad secundam et terciam lectionem certatim concurrere et omnes pariter de transcribendis glosis quas prima die inceperam in ipso earum initio plurimum solliciti esse.



HUGO De SANCTO VICTORE

Didascalicon I.1

De Studio Legendi Praefatio

[770C] Multi sunt quos ipsa adeo natura ingenio destitutos reliquit ut ea etiam quae facilia sunt intellectu vix capere possint, et horum duo genera mihi esse videntur. [770D] nam sunt quidam, qui, licet suam hebetudinem non ignorent, eo tamen quo valent conamine ad scientiam anhelant, et indesinenter studio insistentes, quod minus habent effectu operis, obtinere merentur effectu voluntatis. ast alii quoniam summa se comprehendere nequaquam posse sentiunt, minima etiam negligunt, et quasi in suo torpore securi quiescentes eo amplius in maximis lumen veritatis perdunt, quo minima quae intelligere possent discere fugiunt. unde psalmista: Noluerunt, inquit, intelligere ut bene agerent. longe enim aliud est nescire atque aliud nolle scire. nescire siquidem infirmitatis est, scientiam vero detestari, pravae voluntatis. est aliud hominum genus quos admodum natura ingenio ditavit et facilem ad veritatem veniendi aditum praestitit, quibus, [771A] etsi impar sit valitudo ingenii, non eadem tamen omnibus virtus aut voluntas est per exercitia et doctrinam naturalem sensum excolendi. nam sunt plerique qui negotiis huius saeculi et curis super quam necesse sit impliciti aut vitiis et voluptatibus corporis dediti, talentum Dei terra obruunt, et ex eo nec fructum sapientiae, nec usuram boni operis quaerunt, qui profecto valde detestabiles sunt. rursus aliis rei familiaris inopia et tenuis census discendi facultatem minuit. quos tamen plene per hoc excusari minim posse credimus, cum plerosque fame siti nuditate laborantes ad scientiae fructum pertingere videamus. [771B] et tamen aliud est cum non possis, aut ut verius dicam, facile non possis discere, atque aliud posse et nolle scire. sicut enim gloriosius est, cum nullae suppetant facultates, sola virtute sapientiam apprehendere, sic profecto turpius est vigere ingenio, divitiis affluere, et torpere otio.



Maffaeus VEGIUS

Supplementum Libri Duodecimi Aeneidos (vulgo vocatur Liber Tertius Decimus Aeneidos)

Turnus ut extremo deuictus Marte profudit
Effugientem animam, medioque sub agmine uictor
Magnanimus stetit Aeneas, Mauortius heros,
Obstupuere omnes, gemitumque dedere Latini,
Et durum ex alto reuomentes corde dolorem,
Concussis cecidere animis; ceu frondibus ingens
Silua dolet lapsis boreali impulsa tumultu.

Tum tela infigunt terrae, et mucronibus haerent:
Scutaque deponunt humeris, et proelia damnant,
10 Insanumque horrent optati Martis amorem:
Nec frenum, nec colla pati captiua recusant,
Et ueniam orare et requiem finemque malorum
Sicut acerba duo quando in certamina tauri
Concurrunt, largo miscentes sanguine pugnam,
Cuique suum pecus inclinat: sin cesserit uni
Palma duci, mox quae uicto pecora ante faebant
Nunc sese imperio subdunt uictoris, et ultro
Quanquam animum dolor altus habet, parere fatentur:
Non aliter Rutuli, licet ingens maeror adhausit
20 Pectora pulsa metu caesi ducis, incluta malunt
Arma sequi et Phrygium Aenean, foedusque precari
Pacis, et aeternam rebus belloque quietem.

Tunc Turnum super adsistens placido ore profatur
Aeneas “Quae tanta animo dementia creuit,
Ut Teucros superum monitis, summique tonantis
Imperio huc uectos, patereris, Daunia proles,
Italia et pactis nequicquam expellere tectis?
Disce Iouem reuereri et iussa facessere diuum.
Magnum etiam capit ira Iouem, memoresque malorum
30 Sollicitat uindicta deos; en ultima tanti
Meta furoris adest, quo contra iura fidemque
Iliacam rupto turbasti foedere gentem.
Ecce suprema dies, aliis exempla sub aeuum
Uenturum missura; Iouem ne temnere frustra
Fas sit, et indignos bellorum accendere motus.
Nunc armis laetare tuis, heu, nobile corpus,
Turne iaces: at non tibi erit Lauinia paruo,
Nec dextra tamen Aeneae cecidisse pudebit!
Nunc, Rutuli, hinc auferte ducem uestrum, arma uirumque

40 Largior, atque omnem deflendae mortis honorem.
Sed quae Pallantis fuerant ingentia baltei
Pondera, transmittam Euandro, ut solacia caeso
Haud leuia hoste ferat, Turnoque exsultet adempto.
Uos memores tamen, Ausonii, melioribus uti
Discite bellorum auspiciis: ego sidera iuro,
Nunquam acies, nunquam arma libens in proelia moui:
Sed uestris actus furiis defendere toto
Optauit et licuit Troianas robore partes.”
Nec fatus plura Aeneas; se laetus ad altos
50 Uertebat muros, et Troia tecta petebat.
Una ipsum Teucrorum omnis conuersa iuuentus
Exsultans sequitur, uolucresque per arua pedum ui
Quadrupedes citat, incusans acri ore Latinos,
Ignauosque uocans: strepit altus plausibus aether.
Et quamuis inhumata rogis dare corpora surgat
Ingens cura animo, sociosque imponere flammis,
Maius opus tamen Aeneas sub pectore uoluens,
Primum aris meritos superum mandabat honores.
Tum pingues patrio iugulant ex more iuuenos,
60 Immittuntque sues, niueasque in templa bidentes,
Purpuream effuso pulsantes sanguine terram.
Uiscera diripiunt, et caesim in frusta trucidant,
Denudantque gregem, et flammis ueribusque remittunt.
Tum uina effundunt pateris, et dona Lyaei
Accumulant; plenis uenerantur lancibus aras;
Tura ignes adolent; onerata altaria fumant.
Tum plausus per tecta mouent, magumque tonantem
Extollunt, Ueneremque, et te, Saturnia Iuno,
Iam placidam, et meliorem ingenti laude fatentur,
70 Mauortemque ipsum: tum cetera turba deorum
In medium effertur, summis cum uocibus altos
Perlata ad caelos: ante omnes gratior unus
Aeneas duplices mittebat ad aethera palmas,
Et puerum pauca ore dabat complexus Iulum:
“Nate, in quo spes una patris, per tanta laborum
Quem uariis actus fatis discrimina duxi,
Ecce inuenta quies; ecce illa extrema malorum,
Aerumnis factura modum acceptissima semper,
Atque optata dies, quam dura in bella uocatus,
80 Saepe tibi dis auspiciis meminisse futuram
Iam memini: nunc te, cum primum Aurora rubebit



Crastina, sublimen Rutulorum ad moenia mittam.”

Dehinc sese ad gentem Iliacam uolebat, et alto
Pectore uerba trahens, blando sic ore locutus:

“O socii, per dura ac densa pericula uecti,
Per tantos bellorum aestus, duplicesque furores
Armorum, per totque hiemes, per quicquid acerbum
Horrendum, graue, triste, ingens, per quicquid iniquum
Infaustum, et crudele foret, conuertite mentem

90 In melius: iam finis adest: hic meta malorum

Stabit, et optatam Latia cum gente quietem

Iungemus:dabit inde mihi Lauinia coniunx

Bello acri defensa, Italo cum sanguine mixtam

Troianam transferre aeterna in saecula gentem.

Unum oro, socii, Ausonios communiter aequo

Ferte animo, et uosmet socero obseruate Latino.

Sceptrum idem sublime geret: sententia mentem

Haec habet: at bello uos, et praestantibus armis

Discite me et pietate sequi: quae gloria nobis

100 Cesserit, in promptu est; sed caelum, et sidera testor,

Qui uos tantorum eripui de clade malorum,

Idem ego sub maiora potens uos praemia ducam.”



Desiderius ERASMUS


Adagia I, VIII, 96

Virum improbum vel mus mordeat Κάν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν, id est
Scelerosum mordeat et mus.

Hemistichium heroicum, quo significatum est quacumque ratione vindictam non deesse malis, sed eos aliquo pacto meritas dare poenas. Competit et in eos, qui de re quantumvis frivola rixam movent seque laesos queruntur et offensos simulant, ne quid dent. Id quod nuper cuidam accidit apud Britannos medico, mihi ut patria communi ita et amicitia conjunctissimo. Libet enim obiter hanc fabulam inserere. Civem quemdam Londoniensem, virum egregie nummatum et habitum adprime probum, arte curaue sua liberarat, non sine suo ipsius periculo. Nam is pestilentissima febre tenebatur. Et, ut fit in periculis, medico montes aureos fuerat pollicitus, si non gravaretur sibi in tanto vitae discrimine dexter adesse, obtestatus, et amicitiam, quae illi cum eo intercedebat. Quid multis? Persuasit et juveni et Germano. Aduit. Nihil non fecit. Revixit ille. Ubi verecunde de pecunia medicus admonuisset, elusit nugator negans de mercede quicquam addubitandum, caeterum arcae nummariae clavem penes uxorem esse. Et nosti, inquit, mulierum ingenium. Nolo sentiat tantam pecuniae summam a me datam. Deinde post dies aliquot hominem obvium forte factum, jam nitidum et nulla morbi vestigia prae se ferentem, appellavit et nondum datae mercedis admonuit. Ille constanter asseverare pecuniam suo jussu ab uxore numeratam esse. Medicus negare factum. Hic vide, quam ansam bonus ille vir arripuerit. Cum forte medicus eum Latine numero singulari appellasset, ibi velut atroci lacessitus injuria, Vah, inquit, homo Germanus tuissas Anglum? Moxque velut impos animi prae iracundia caput movens diraque minitans subduxit sese. Atque ad eum modum honestus ille civis elusit dignus profecto quem sua pestis repetat. Risimus quidem fabulam nec tamen sine dolore propter indigne frustratum amicum nec sine tam insignis ingratitude admiratione. Referunt gratiam leones in periculis adjuti. Meminerunt officii dracones, homo homini, amicus amico, sic merito pro mercede, quae nulla satis digna rependi poterat, ludibrium reponit. Atque haec in facti detestationem diximus, non gentis odium. Nec enim par est ex hoc uno nebulone Britannos omnes aestimari. Refertur adagium inter Graeca epigrammata:

Υασὶ παροϊμακῶς κάν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν, id est
Vulgo aiunt vel murem etiam mordere scelestum.

At is, quisquis est – nam incertus auctor – invertit proverbium dicens bonos viros vel a mure morderi, malis ne draconem quidem audere dentes admoliri, hoc est insontibus passim noceri, propterea quod ii impune laedi posse videantur, utpote non relaturo injuriam.



Laus Stultitiae sive Morae Encomium

49. Sed ipsa stultissima sim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, si pergam popularium stultitiarum, et insaniarum formas enumerare. Ad eos accingar, qui sapientiae speciem inter mortales tenent, et aureum illum ramum, ut aiunt, aucupantur, inter quos Grammatici primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitosius, nihil afflictius, nihil aequae Diis invisum foret, nisi ego miserrimae professionis incommoda dulci quodam insaniae genere mitigarem. Neque enim pente katarais, id est, quinque tantum diris obnoxii sunt isti, quemadmodum indicat epigramma Graecum, verum sexcentis, ut qui semper famelici, sordidique in ludis illis suis, in ludis dixi, imo in phrontistèriis vel pistrinis potius, ac carnificinis inter puerorum greges, consenescent laboribus, obsurdescant clamoribus, foetore paedoreque contabescant, tamen meo beneficio fit, ut sibi primi mortalium esse videantur. Adeo sibi placent, dum pavidam turbam, minaci vultu voceque territant: dum ferulis, virgis, lorisque conscindunt miseros, dumque modis omnibus suo arbitrato saeviunt, asinum illum Cumanum imitantes. Interim sordes illae, merae munditiae videntur, paedor amaricinum olet, miserrima illa servitus regnum esse putatur, ut tyrannidem suam nolint cum Phalaridis aut Dionysii imperio commutare. Sed longe etiam feliciores sunt, nova quadam doctrinae persuasione. Siquidem cum mera deliramenta pueris inculcent, tamen, Dii boni, quem non illi Palaemonem, quem non Donatum prae sese contemnunt? idque nescio quibus praestigiis mire efficiunt, ut stultis materculis et idiotis patribus tales videantur, quales ipsi se faciunt. Iam adde et hoc voluptatis genus, quoties istorum aliquis Anchisae matrem, aut vocolam vulgo incognitam, in putri quapiam charta deprehenderit, puta bubsequam, bovinatorem aut manticulatorem, aut si quis vetusti saxi fragmentum, mutilis notatum litteris, alicubi effoderit: O Iupiter, quae tum exsultatio, qui triumphus, quae encomia, perinde quasi vel Africam devicerint, vel Babylonas ceperint. Quid autem cum frigidissimos et insulsissimos versiculos suos passim ostentant, neque desunt qui mirentur, iam plane Maronis animam in suum pectus demigrasse credunt. At nihil omnium suavius, quam cum ipsi inter sese mutua talione laudant ac mirantur, vicissimque scabunt. Quod si quis alius verbulo lapsus sit, idque forte fortuna hic oculatior deprehenderit, Hèrakleis, quae protinus tragoediae, quae digladiationes, quae convitia, quae invectivae? Male propitios habeam omnes Grammaticos, si quid mentior. Novi quemdam polutechnotaton, graecum, latinum, mathematicum, philosophum, medicum, kai tauta basilikon, iam sexagenarium, qui caeteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac disrutiat in Grammatica, prorsus felicem se fore ratus, si tam diu liceat vivere, donec certo statuatur, quomodo distinguendae sint octo partes orationis, quod hactenus nemo Graecorum aut Latinorum ad plenum praestare valuit. Perinde quasi res sit bello quoque vindicanda, si quis coniunctionem facit dictionem ad adverbiorum ius pertinentem. Et hac gratia, cum totidem sint grammaticae quot grammatici, imo plures: quandoquidem Aldus meus unus, plus quinquies grammaticam dedit, hic nullam omnino quantum vis barbaram aut moleste scriptam praetermittit, quam non evolvat, excutiatque: nemini non invidens, si quid quantumlibet inepte moliatur in hoc genere, misere timens, ne quis forte gloriam hanc praeripiat, et pereant tot annorum labores. Utrum insaniam hanc vocare mavultis, an stultitiam? Nam mea quidem haud magni refert, modo fateamini meo beneficio fieri, ut animal omnium alioqui longe miserrimum, eo felicitatis evehatur, ut sortem suam neque cum Persarum regibus cupiat permutare.



Dialogus Abbatis et Eruditae

Personae: Antrionius, Magdalia.

An. Quam heic ego supellectilem video?

Ma. An non elegantem?

An. Nescio quam elegantem; certe parum decoram et puellae et matronae.

Ma. Quam ob rem?

An. Quia librorum plena sunt omnia.

Ma. Tu, tantus natu, tum abbas et aulicus, nunquam vidisti libros in aedibus heroinarum?

An. Vidi, sed Gallice scriptos: heic video Graecos et Latinos.

Ma. An soli Gallice scripti libri docent sapientiam?

An. Sed decet hoc heroinas, ut habeant quo delectent otium.

Ma. An solis heroinis licet sapere et suaviter vivere?

An. Male connectis, sapere et suaviter vivere: non est muliebre sapere: heroinarum est suaviter vivere.

Ma. Nonne omnium est bene vivere?

An. Opinor.

Ma. Qui potest autem suaviter vivere, qui non vivat bene?

An. Imo qui potest suaviter vivere, qui vivat bene?

Ma. Ergo tu probas eos, qui vivunt male, modo suaviter?

An. Arbitror illos bene vivere, qui vivunt suaviter.

Ma. Sed ista suavitas unde proficiscitur? e rebus extrariis, an ex animo?

An. E rebus extrariis.

Ma. O subtilem abbatem, sed crassum philosophum! Dic mihi, quibus rebus tumetiris suavitatem?

An. Somno, conviviis, libertate faciendi quae velis, pecunia, honoribus.

Ma. Verum, si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter?

An. Quid appellas sapientiam?

Ma. Hoc est, si intelligeres hominem non esse felicem, nisi bonis animi; opes, honores, genus neque feliciorum reddere neque meliorem.

An. Valeat ista quidem sapientia.

Ma. Quid si mihi suavius sit legere bonum auctorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam; non videbor tibi suaviter vivere?

An. Ego non viverem.

Ma. Non quaero, quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave.

An. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris.

Ma. At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probat hoc in monachis tuis?

An. Quoniam experior illos minus morigeros: responsant ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo.

Ma. Imperas igitur quae pugnant cum Petro et Paulo?

An. Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo monachum responsatorem: neque velim quenquam meorum plus sapere, quam ego sapiam.

Ma. Istud ita vitari possit, si tu des operam, ut quam plurimum sapias.

An. Non est otium.



Ma. Qui sic?

An. Quia non vacat.

Ma. Non vacat sapere?

An. Non.

Ma. Quid obstat?

An. Prolixae preces, cura rei domesticae, venatus, equi, cultus aulae.

Ma. Itane ista tibi sunt potiora sapientia?

An. Nobis sic usu venit.

Ma. Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem tibi daret, ut posses et monachos tuos et te ipsum vertere in quodcumque animal velles, an illos in porcos verteres, te ipsum in equum?

An. Nequaquam.

Ma. Atqui sic vitares, ne quis plus te uno saperet.

An. Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem homo.

Ma. An hominem esse censes, qui nec sapiat nec velit sapere?

An. Mihi sapio.

Ma. Et sibi sapiunt sues.

An. Videre mihi sophistria quaepiam; ita argutaris.

Ma. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur haec displicet supellex?

An. Quia fusus et colus sunt arma muliebria.

Ma. Nonne matronae est, administrare rem domesticam, erudire liberos?

An. Est.

Ma. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia?

An. Non arbitror.

Ma. At hanc sapientiam docent me libri.

An. Ego domi habeo sexaginta duos monachos; tamen nullum librum reperies in meo cubiculo.

Ma. Bene itaque prospectum est monachis illis.

An. Feram libros, non fero Latinos.

Ma. Quapropter?

An. Quia non convenit ea lingua foeminis.

Ma. Exspecto causam.

An. Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam.

Ma. Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam?

An. Aliud est.

Ma. Dic istud, quidquid est, aperte.

An. Tutiores sunt a sacerdotibus, si nesciant Latine.

Ma. Imo isthinc minimum est periculi vestra opera; quandoquidem hoc agitissedulo, ne sciatis Latine.

An. Vulgus ita sentit, quia rarum et insolitum est, foeminam scire Latine.

Ma. Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendae rei auctorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistrum? Optimis assuescendum: ita fiet solitum, quod erat insolitum: et suave fiet, quod erat insuave; fiet decorum quod videbatur indecorum.

An. Audio.

Ma. Nonne decorum est, foeminam in Germania natam discere Gallice?



An. Maxime.

Ma. Quam ob rem?

An. Ut loquatur cum his, qui sciunt Gallice.

Ma. Et mihi putas indecorum, si discam Latine, ut quotidie confabuler cum tot auctoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidisconsultoribus.

An. Libri adimunt multum cerebri foeminis, quum alioqui parum illis supersit.

Ma. Quantum vobis supersit, nescio; certe mihi quantulumcunque est, malim in bonis studiis consumere, quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibusconviviis, in exhauriendis capacibus pateris.

An. Librorum familiaritas parit insaniam.

Ma. An colloquia combibonum, scurrarum et sannionum tibi non pariuntinsaniam?

An. Imo depellunt taedium.

Ma. Qui fiat igitur, ut tam amoeni confabulones mihi pariant insaniam?

An. Sic aiunt.

Ma. At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio, etintempestiva convivia, quibus temulenta pervigilia, quibus impotentes affectuspepererunt insaniam!

An. Ego sane nollem uxorem doctam.

Ma. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam et illum mihi, et me illi cariorem reddit eruditio.

An. Immensis laboribus comparatur eruditio, ac post moriendum est.

Ma. Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultioran sapientior?

An. Si citra laborem contingeret sapientia.

Ma. Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita: et tamen quicquidparatum est, quantisvis laboribus comparatum est, heic relinquendum est; curpigeat nos in re omnium pretiosissima sumere laboris aliquid, cuius fructusnos in alteram quoque vitam comitatur?

An. Frequenter audivi vulgo dici, foeminam sapientem bis stultam esse.

Ma. Isthuc quidem dici solet, sed a stultis. Foemina quae vere sapit, non videtursibi sapere; contra, quae quum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demum bisstulta est.

An. Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellae non conveniunt bovi, ita necliterae mulieri.

Ma. Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellae bovi, quam mitra asinoaut sui. Quid sentis de Virgine matre?

An. Optime.

Ma. Nonne versabatur in libris?

An. Versabatur; at non in istis.

Ma. Quid igitur legebat?

An. Horas canonicas.


Ma. Ad quem usum?

An. Ordinis Benedictini.

Ma. Sit ita sane. Quid Paula et Eustochium? nonne versabantur in sacris libris?

An. Verum istuc nunc rarum est.

Ma. Sic olim rara avis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius: olim principes etCaesares eruditione non minus quam imperio praeminebant. Neque tamen usque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia nonpaucae mulieres adprime nobiles, quae cum quovis viro queant contendere: sunt in Anglia



Moricae, sunt in Germania Bilibaldicae et Blaurericae. Quod niscaveritis vos, res eo tandem evadet, ut nos praesideamus in scholis Theologicis, ut concionemur in templis; occupabimus mitras vestras.

An. Ista Deus avertat.

Ma. Imo vestrum erit hoc avertere. Quod si pergetis ut coepistis, citius aneresconcionaturi sint, quam vos mutos pastores ferant. Videtis iam inverti mundiscenam: aut deponenda est persona, aut agenda sunt suae cuique partes.

An. Unde incidi in hanc foeminam? Si quando vises nos, ego te suavius accipiam.

Ma. Quibus modis?

An. Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus.

Ma. Mihi quidem iam nunc ridere libet.



Ars notoria

Personae: Desiderius Erasmus, Erasmius.

De. Quomodo succedunt tua studia, Erasmi?

Er. Musis, tu apparet, parum faventibus: sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare.

De. Nihil non impetrabis, modo sit in rem tuam; dic tantum quid rei sit.

Er. Non dubito, quin nihil sit artium reconditarum quod te fugiat.

De. Utinam vera praedices!

Er. Audio artem esse quandam notoriam, quae hoc praestet, tu homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales.

De. Quid audio? Vidisti codicem?

Er. Vidi, sed vidi tantum, quod non esset doctoris copia.

De. Quid continebat liber?

Er. Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosque circulos, et in his descriptas voces partim Graecas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasque barbaricarum linguarum.

De. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem?

Er. Intra quatuordecim.

De. Magnifica sane pollicitatio; sed nostine quenquam per istam artem notoriam evasisse doctum?

Er. Nequaquam.

De. Neque quisquam alius vidit unquam aut visurus est, nisi posteaquam viderimus aliquem per alchumisticam evasisse divitem.

Er. Equidem optarim artem esse veram.

De. Fortasse quod pigeat literas tantis sudoribus emere.

Er. Scilicet.

De. Atqui sic visum est superis. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignavis et immerentibus: sed quae verae sunt opes, ac proprie nostrae sunt, voluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, quum cernamus plurimos homines per horrenda discrimina, per non aestimandos sudores eluctari ad res temporarias et plane viles, si ad eruditionem conferantur: nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paullulum in ea processeris. Iam in te bona ex parte situm est, tu magnum taediorum partem amputes.

Er. Quonam pacto?

De. Primum, tu animum inducas amare studia. Deinde, tu ea mireris.

Er. Quibus rationibus hoc fiet?

De. Contemplare, quam multos ditarint, quam multos ad summam dignitatem auctoritatemque provexerint literae: simulque tecum considera, quantum intersit inter hominem et pecudem.

Er. Probe mones.

De. Deinde cicures ingenium tuum oportet, tu possit secum consistere, atque his delectari, quae utilitatem adferunt potius quam voluptatem. Nam quae per honesta, etiamsi initio nonnihil habent molestiae, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, tu et minus fatiges praeceptorem, et ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis literis in frontispicio codicis tui pingendum: Ἐὰν ἦς φιλομαθής, ἔση πολυμαθής.



Er. Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est.

De. Itaque pertusum mihi narras dolium.

Er. Haud multum aberras a scopo. Sed quid remedii?

De. Obturanda est rima, en perfluat.

Er. Quibus rebus?

De. Non musco neque gypso, sed diligentia. Qui voces ediscit non intellecta sententia, mox obliviscitur; nam verba, tu inquit Homerus, πτερόεντα sunt, facileque avolant, nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, ut rem penitus

intelligas, dein subinde tecum verses ac repetas, et in hoc cicurandus est, tu dictum est, animus, tu quoties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est adeo silvestris, ut in hoc cicurari non possit, haudquaquam est idonea literis.

Er. Isthuc quam sit difficile, plus satis intelligo.

De. Quisquis enim habet animum adeo volubilem, tu nulli cogitationi possit immorari, nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriae quod didicit. Plumbo potest aliquid imprimi, quod maneat in loco; aquae aut argento vivo, quoniam assidue fluitant, nihil potest imprimi. Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, quum assidue verseris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore disces quam plurima.

Er. Profecto sic est.

De. Nam praeter sermones conviviorum, praeter quotidiana colloquia, statim a prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis auctoribus selecta, totidem a coena. Iam mihi supputa quantam haec summam conficiant in singulos menses et annos.

Er. Magnificam, si possim meminisse.

De. Ad haec, quum nihil audies nisi bene Latine loquentes, quid obstat quo minus intra paucos menses ediscas Latine, quum illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio?

Er. Sequar tuum consilium experiarque, num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere.

De. Ego aliam artem notoriam non novi, quam curam, amorem, assiduitatem.



Thomas MORUS

Utopia.

De educatione et artibus in Utopiensibus.

has atque huiusmodi opiniones partim ex educatione conceperunt. in ea educti republica cuius instituta longissime ab his stultitiae generibus absunt, partim ex doctrina et litteris. nam et si haud multi cuiusque urbis sunt, qui ceteris exonerati laboribus soli disciplinae deputantur. ii uidelicet in quibus a pueritia egregiam indolem, eximium ingenium, atque animum ad bonas artes propensum deprehendere, tamen omnes pueri litteris imbuuntur, et populi bona pars, uiri, feminaeque, per totam uitam, horas illas quas ab operibus liberas diximus, in litteris collocant.

disciplinas ipsorum lingua perdiscunt. est enim neque uerborum inops, nec insuauis auditu, nec ulla fidelior animi interpres est. eadem fere—nisi quod ubique corruptior, alibi aliter—magnam eius orbis plagam peruagatur.

ex omnibus his philosophis, quorum nomina sunt in hoc noto nobis orbe celebria, ante nostrum aduentum ne fama quidem cuiusquam eo peruenerat, et tamen in musica, dialecticaque, ac numerandi et metiendi scientia, eadem fere quae nostri illi ueteres inuenere. ceterum ut antiquos omnibus prope rebus exaequant, ita nuperorum inuentis dialecticorum longe sunt impares. nam ne ullam quidem regulam inuenerunt earum, quas de restrictionibus, amplificationibus, ac suppositionibus acutissime excogitatis in paruus logicalibus passim hic ediscunt pueri. porro secundas intentiones tam longe abest ut inuestigare suffecerint, ut nec hominem ipsum in communi quem uocant, quamquam—ut scitis—plane colosseum et quouis gigante maiorem, tum a nobis praeterea digito demonstratum, nemo tamen eorum uidere potuerit.

at sunt in astrorum cursu, et caelestium orbium motu, peritissimi. quin instrumenta quoque diuersis figuris solerter excogitarunt, quibus solis ac lunae, et ceterorum item astrorum quae in ipsorum horizonte uisuntur, motiones ac situs exactissime comprehensos habent. ceterum amicitias, atque errantium dissidia siderum, ac totam denique illam ex astris diuinandi imposturam, ne somniant quidem. imbres, uentos, ac ceteras tempestatum uicissitudines, signis quibusdam longo perspectis usu praesentiunt. sed de causis earum rerum omnium, et de fluxu maris eiusque salsitate, et in summa de caeli mundiue origine, ac natura partim eadem quae ueteres philosophi nostri disserunt, partim ut illi inter se dissident, ita hi quoque dum nouas rerum rationes afferunt, ab omnibus illis dissentiunt, nec inter se tamen usquequaque conueniunt.

in ea philosophiae parte qua de moribus agitur, eadem illis disputantur quae nobis, de bonis animi quaerunt et corporis, et externis, tum utrum boni nomen omnibus his, an solis animi dotibus conueniat. de uirtute disserunt, ac uoluptate, sed omnium prima est ac princeps controuersia, quanam in re, una pluribusue sitam hominis felicitatem putent. at hac in re propensiores aequo uidentur in factionem uoluptatis assertricem, ut qua uel totam, uel potissimam felicitatis humanae partem definiant. et quo magis mireris ab religione quoque—quae grauis et seuera est fereque tristis et rigida—petunt tamen sententiae tam delicatae patrocinium. neque enim de felicitate disceptant umquam, quin principia quaedam ex religione deprompta, tum philosophia quae rationibus utitur coniungant, sine quibus ad uerae felicitatis inuestigationem mancam, atque imbecillam per se rationem putant.



Philippus MELANCHTHON

De laude Vitae Scholasticae oratio.

Duae res sunt, quibus nihil melius ac divinius habet humana natura, videlicet veritas et iustitia. Harum inquisitio et explicatio commendata est scholis.

Nec vero obscurum est, veritatis et iustitiae cognitionem maxime necessariam esse ad bene vivendum et utilitates ad vitam maximas affere.

Non enim sine doctrina religiones coli, non leges condi aut retineri possunt. Quanto praesidio destituta esset vita, si medicinam nemo disceret aut doceret? Quantis ornamentis carendum esset, si nemo disceret mathemata, si nulla temporum discrimina tenerentur, si res veteres et historiae mandatae litteris ignotae essent?

Horum commodorum magnitudo vobis quidem, qui in his studiis versamini, nota est. Quare facile iudicabitis partem reipublicae necessariam esse scholas et quidem praecipuas utilitates inde ad communem vitam pervenire. Quis enim non videt religionibus, legibus et litteris, in vita magis opus esse, quam fabris aut cerdonibus?

Sed illud disputant quidam, ecclesias, aulam, forum, sedes esse veritatis et iustitiae, magis quam scholas. Vocant scholasticam vitam umbratilem, quod ibi in otio ingenia exerceantur, illic aiunt, veritatem et iustitiam in acie versari. Moderati animi est et bene instituti, reverenter sentire de ecclesiis, de aulis et foro. Ac debent quidem in illis locis regnare veritas et iustitia. Sed constat ex scholis in illa loca haec ornamenta afferri.

Qualis enim esset doctrina in templis, si in scholis res non essent agitatae et illustratae?

Qualis esset aulicorum consiliorum et fori barbaries, si non extaret quaedam erudita iuris doctrina?

Deinde hoc interest, de omnibus magnis rebus scholae consuluntur, scholae pronuntiant, non episcopi, aut aulici, aut causidici. postremo in scholis est simplex studium rerum inquirendarum et patefaciendarum.

In ecclesiis multa in popularibus contionibus dicuntur improprie, multa etiam quia populus non potest assequi, praetereuntur. Iam in aulis et foro horribile est dictu, quantum sit sophistices. Itaque saepe mihi venit in mentem veteris fabulae de Astrea, quam ferunt pulsam civitatibus, postea in rure diu solitam agricolis contionari. Ita mihi videtur propemodum pulsa ex aulis, ex foro, ex templis et aliis hominum coetibus Astrea, hoc est, veritatis et iustitiae doctrina, adhuc haerere in scholis.

Quare cum minus sit sophistices in scholis, quam alibi, cum bonis unum hoc sit studium eruendae veritatis, summa laus esse debet vitae scholasticae, quae quidem imago quaedam est illius beatissimi status, in quo aurea illa aetate vivebant homines, si qua fuit, aut certe victuri erant, si fuisset illa aurea aetas, si natura hominum fuisset immunis a peccati labe et a morte. Quid enim tunc fuisset vita hominum, nisi iucundissima quaedam schola, in qua seniores et praestantiores de rebus divinis, de natura rerum, de immortalitate humanorum animorum, de coelestibus motibus, de omnibus vitae officiis docuissent reliquos? In hac philosophia et huiusmodi disputationibus



tempus omne consumpsissent seniores et iuniores. Nec aliam vitam fuisse Adae et similium principum virorum iudico. Huius beatissimi status imago est vita scholastica.

Dixi brevissime de necessitate et de utilitatibus, addam etiam de sanctitate huius vitae. Nullum Deo gratius est officium, quam veritatis et iustitiae studium et propagatio. Nam haec sunt praecipua Dei dona, in quibus Dei praesentia maxime cerni potest.

Haec Deus praecipue conservari postulat, imo ad hunc finem praecipue conditi sunt homines, ut alii alios doceant de Deo et aliis rebus bonis. Ad hanc utilitatem addita est divinitus humano generi sermonis communicatio. Quare non dubium est, quin hoc vitae genus, quod in docendo et discendo versatur, Deo gratissimum sit, et hoc nomine antecellant scholae templis et aulis, quia maius est studium veritatis in scholis.


Quare si quis sanctum vitae institutum quaerit, non abdat se in solitudines, non putet aliud esse sacratius vitae genus, sed in his discentium conventibus maneat, hic conetur bene mereri de genere humano, doceat alios, et sciat hoc officium prodesse ad conservationem et propagationem optimarum rerum, erudiat ambigentes conscientias, respondeat de iure, deque omnibus vitae officiis, inquiret rerum naturam, morborum remedia, causas mutationum in natura, motus et effectus coelestes, praeparet iuventutem ad maiores artes, enarret historias, mandet litteris res gestas, illustret artes.

Haec quisque qui facit, Deo gratissimum cultum praestat, et de genere humano praeclare meretur; conservat enim doctrinam utilissimam vitae, format mores, iudicia hominum, retinet pacem, mitigat multa mala publica. Tale vitae genus non solum praestat monastico, sed vere divinum est.

Cicero reprehendit Platonem, quod dixerit, philosophos, tametsi abstineant a reipublicae administratione, tamen iustos esse, propter hanc ipsam magnarum rerum inquisitionem.

Sed Plato rectissime sensit. Est enim iustitia, suum quemque officium facere et fructum eius officii conferre ad communem salutem generis humani. Id maxime facit philosophus, qui religiones, rerum naturam, causas omnium honestorum officiorum, leges explicat, et has res divinas ceteris impertit, artes illustrat, aut docet; denique qui veritatis et iustitiae doctrinam conferre ad aliorum utilitatem studet. Nec putemus melius mereri de genere humano vel causidicos aliquos, qui in foro controversias, aut exponunt, aut dirimunt, vel aediles qui pontes aliquos faciunt, vel mercatores qui iusto pretio res utiles important. Recte igitur Plato dixit, iustos esse philosophos, qui doctrinam utilem vitae tradunt.

Non gessit magistratus Isocrates, sed consiliis suis gubernavit imperatorem laudatissimum Timotheum, et formavit ingenia multorum, qui postea in republica principes extiterunt. Nec melius de republica meritus est Aeschines causidicus, quam Aristoteles, qui etsi nec magistratus gessit, nec causas egit, tamen Alexandrum et multos alios principes finxit ad iustitiam et beneficentiam. Deinde hodie etiam bene meretur de republica reliquit monumenta utilia ad religiones et leges interpretandas, parit medicos, et iudicia multorum format, qui in foro et negotiis versantur.



Aso iurisconsultus gubernavit magnam Italiae partem. Nec tamen minus de republica meretur Bartolus, qui in schola tantum vixit. Philippus medicus Alexandri exercitum secutus est, ac regem ipsum ingenti periculo liberavit. Neque tamen minus de republica meretur Galenus, qui nullum exercitum secutus est, sed in schola assedit, et scripsit doctrinae suae monumenta.

Cum igitur non aliud vitae genus utilius sit generi humano, aut magis necessarium, aut sanctius, quam vita scholastica, satis intelligi potest, hunc esse praestantissimum vitae gradum. Hac vera laude moveri bona ingenia decet, ut magis ament vitam scholasticam, et adhibeant studium et diligentiam dignam tanta professione, et ornent eam optimis moribus.

Quid est enim turpius, quam quod multi in scholis ita degunt, primum, ut non intelligant suum officium; deinde, ut hoc otium litterarium collocent in turpissimas voluptates, et sumant sibi licentiam omnium scelerum, quasi scholae non veritatis et iustitiae, sed petulantiae officinae essent.


Quo animo homines pii veniunt in templa ad facienda sacra, eodem animo vos quoque in scholas accedere oportuit; hic enim res divinae tractantur. Et magna cura adhibenda est, ut nostra sacra recte faciamus, ne nostra incitiae aut aliqua alia culpa artes corrumpantur. Non minus piaculum est, corrumpere artes, quam ceremonias in templis contumelia afficere.

Ideo scholis nomen inditum est ab otio, ut respublica testetur se liberare nos a sordidis operis, ut dediti esse rebus divinis possimus. Addidit etiam praemia, sicut militibus. Etsi autem utilitates sunt exiguae, etsi indocti non solum contemnunt, sed etiam crudeliter oderunt litteras, tanquam vincula cupiditatum suarum, tamen Deus non patitur omnino deesse praemia docentibus litteras et discentibus. Et quo melius quaeque respublica constituta est, eo est erga studiosos liberalior.

Interim nos decet philosophico animo fortunae iniquitatem ferre et intelligere causas, quare optimae quaeque res maxime sunt spretae vulgo. Deinde incommodis etiam opponamus commoda, videlicet, dignitatem professionis et sanctitatem, postremo etiam iucunditatem. Itaque de hac etiam pauca adiciam, videlicet, nullum vitae genus iucundius esse, quam vitam scholasticam.

Omnes sanae mentes incredibilem voluptatem percipiunt ex veritatis agnitione; nam ad hanc aspiciendam maxime conditi sunt homines. Hanc voluptatem in scholis multae causae augent.

Primum enim magna ibi artium varietas est: omnium disciplinarum professores esse solent, qui consuli possunt in qualibet arte; est et frequentia discentium, in qua magna dissimilitudo est ingeniorum et iudiciorum. Quare nostras cogitationes cum multis conferre possumus, audire quid alii iudicent, imitari meliora exempla. Hinc enim est illa apud Hesiodum laudata contentio, de qua dicit, vicinum a vicino ad divitias properante, invitari. Ideoque apud Euripidem vere dictum est, communicatione opinionum in magna frequentia repertas esse artes. Et Cicero ait, magnam vim in discendo habere studium conferendi, quod syzÊtÊsin vocat ipse. Et Salomon ait: ferrum ferro acuitur, ita vir excitatur a viro. Significat enim tum admoneri ingenia collatione consiliorum atque opinionum, tum exemplis excitari. propter has tantas utilitates libenter in hac frequentia versari studiosos convenit. postremo



natura fit, ut similes delectentur similium consuetudine, maximeque hi, qui similibus artibus dediti sunt. Ipsa etiam celebritas delectat animos, iuvat videre bene compositos choros docentium et discentium.

Nullum acroama dulcius est, quam audire de optimis rebus, deque omni varietate naturae, de republica, de religionibus, quid alii peritiores sentiant. Vetus est dictum: extra universitatem non est vita, quo significabant iucundissimam esse vitam in scholis. Id dictum opinor ortum esse ab eruditis et prudentibus, qui intelligebant, et quantam haec consuetudo, et communicatio sermonis vim habeat, et quantam pariat voluptatem. Delectat bonos et virtus illorum, qui liberaliter impertiunt doctrinam aliis, qui ex animo consulere posteritati conantur.

Etsi autem in tanta infirmitate humani generis nullus est ordo, nullum vitae genus prorsus sine vitio, tamen in scholis minus aliquanto est fuci, odiorum et aliarum malarum artium, quam in aliis multis vitae generibus.

Primum enim doctrina liberalis flectit mediocria ingenia ad virtutem. Nec fere quisquam adeo est ferrea natura, ut litteris et mediocri disciplina non aliquanto fiat mitior. Est autem multo iucundior consuetudo cum eruditis, qui causas omnium honestorum officiorum intelligunt, quam cum indoctis, quorum iudicia multis in rebus dissident a nostris.

Deinde illud affirmare ausim, eum qui in studiis assuefit ad amandam et inquirendam veritatem, amare candorem ac simplicitatem etiam in moribus et in vita. Sed doctrina sophistica depravat voluntates, transfertur enim calumniandi studium ad mores. ut autem quisquis est studiosissimus, ita maxime incensus est amore veritatis et sophisticem odit acerrime.

Dulcissimus autem convictus est cum eruditis et candidis, qui prospiciunt quid deceat, et certa quadam ratione moderantur omnes actiones et animi impetus, quasi freno regunt. Itaque nec dulciores, nec firmiores sunt amicitiae, quam philosophicae, hoc est, eruditorum amicitiae et societate studiorum contractae. Iam e regione confer ad haec scholastica sodalitia, consuetudines cum illitteratis, in quibus etiam si qui boni viri sunt, tamen minus suavitatis habent congressus cum illis, quia de doctrina nobiscum colloqui non possunt. Ne Laelii quidem et Scipionis amicitia tantum suavitatis habuisset, si fuissent amousoi.

Sed angustia temporis non sinit nos omnia vitae scholasticae commoda colligere et illustrare. Haec autem recensui, primum, ut adolescentes intelligant et ament vitae genus in quo versantur; deinde cogitent, quanta vicissim requiratur ab ipsis diligentia, quanta in omni officio moderatio, ut hoc vitae genus ornent.

Litterati in summo fastigio rerum humanarum collocati sunt. Quare ut muneri omnium difficillimo satisfacere possimus, adhibenda est acerrima contentio animorum in docendo. Est et sanctissimum vitae genus et Deo gratissimum, conservare et propagare doctrinam vitae utilem. Sciamus igitur Deo poenas duros illos, qui moribus suis dedecorant scholas, qui non conferunt aliquid operae ad doctrinae conservationem.



De miseriis paedagogorum.

In Aesopi apologis queritur apud Iovem asinus de suis aerumnis cottidianis se operis confici et enecari: sed est querela paedagogorum de suis miseriis iustior profecto, si res ad calculos revocetur, quam asini. Quis enim ullo in pistrino asinus tantum mali pertulit, quantum mediocris paedagogus in uno atque altero docendo tum laboris exhaurit tum molestiae perpetitur? Quo in genere vitae quia mihi aliquamdiu versari contigit et experiri, quam sit calamitosum, libuit in praesentia de paedagogorum miseriis dicere et communia mala nostri ordinis deplorare. Est enim quaedam in malis voluptas libere conqueri, sicut Ovidius ait, cum scripsit: “Expletur lacrimis egeriturque dolor.”


Proinde cum alios aequis animis de alienis negotiis dicentes audiatis, et mihi quaeso meam agenti fabulam verumque dolorem repraesentanti operam date. Et si ille apud Terentium, cum dicit hominem se esse, nihil humani alienum a se esse, recte iudicavit humanum esse alterius miseria affici, debetis profecto et vos vice mea commoveri et querelam meam patienter audire mihi que veniam dare, sicubi diutius iusto in commemorandis malis nostris commorari videbor.

Nam ubi dolet, aiunt, ibi manum quisque habet. Ego cum per inopiam ingenii sentirem me nil huc afferre posse, quod magnopere delectaret, et me cottidianae vitae consuetudo huius argumenti admoneret, gessi scilicet meo dolori morem et hanc materiam sumpsi pro virili tractandam. Ex qua equidem non ingenii laudem, sed in hac carnificina quaedam curarum solacia captabam, plane mihi requies, non fama petita est. Nec me sinebant haec mala diligentius elaboratam orationem huc afferre. Sed dum dolori obsequor, sine ordine incondita pleraque effudi, idque condonabitis, opinor, mihi facile, si qua miseratio mei tanget. Neque enim vacabat animo sic occupato verborum habere accuratorem delectum.

Sed exordiar aliquando causam, quam animus meminisse horret luctuque refugit, et querar apud vos de condicione paedagogorum, quo genere hominum nulli mihi ne quidem in ergastulis videntur infeliciores. Primum enim cum traditur paedagogo puer docendus et ad humanitatem ac virtutem informandus, videte quaeso, quam duram provinciam plenamque miserrimi laboris ac periculorum capiat. Non ante matura aetas pueri videtur, ut mittatur in ludum litterarium, quam cum domestica indulgentia corruptus est et vitia tum intellegit tum degustavit; is non modo nullum amorem litterarum aut admirationem, sed acerrimum erga illas odium, contemptum praeceptorum, turpissima exempla domo affert. Cum eiusmodi monstro praeceptorum decertandum est.

Si doceas, peregrinatur animus pueri, et ut optime succedat, sescenties idem inculcandum est, dum illi invito haereat in animo: cum paululum modo despexeris, rursus ex animo illa omnia totiens decantata puero effluunt. Si reddere cogas, quae didicit, tum vero videas plane ludibrio haberi praeceptorem. Nam puero, ut est contumacia, voluptas est admisisse aliquid, quod urat et exerceat praeceptorem. Si quis cogatur docere camelum saltare aut asinum fidibus ludere, nonne illum egregie miserum dicas, qui frustra maximum laborem sumat? At id tolerabilius est quam nostros pueros docere.

Nam ut nihil promoveas in camelo aut asino exercendo, certe illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri cum strenue defatigarunt nos, quam sunt insuper in nos contumeliosi? Invenias, qui palam ausit convicium facere praeceptorum et manus auriculas imitatur mobilis albas. Et eiusmodi mores domo ad praeceptores afferrunt,



nihilo reverentius antea parentes tractaverunt, quam nunc magistros tractent. Et paulatim vertit in naturam mala consuetudo, ut corrigi et emendari haec vitia numquam possint.

Quid est, si non haec est miseria, perpetuis curis ac labore in docendo frustra consumi et enecari? Deinde pro tuis meritis etiam ludos deliciasque et quidem puero fieri? Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in adversum montem volvere, quod tamen e summo iam vertice rursus labitur et plani raptim petit aequora campi, significarique scribunt eo commento irriti labore multos mortales confici. Mihi multo clarius repraesentari videretur inanis opera, si pingeretur ibi paedagogus cum eiusmodi puero, qualem paulo ante descripsimus. Quanto enim maius negotium est paedagogo quam Sisypho? Nec tamen maius operae pretium fit. Illius in versando saxo simplex labor est, et cura vacat, paedagogi vide mihi quam multiplex negotium sit.


Numquam nisi coactus a praeceptore puer librum in manus sumit: ubi acceperit, oculi atque animus expatiantur. Ibi tamquam calcaria addenda, quae admoneant officii. Enarrat aliquid praeceptor, iam illi delicato somnus obrepit, et securus in utramque aurem dormit, dum se paedagogus dicendo rumpit. Novum ibi negotium fit paedagogo expergefaciendi discipuli. Dictata repetuntur, experrectus adulescens iubetur adicere animum ad ea, quae traduntur, verum non est cura Hippocliidi, foris est animus tamquam in alio mundo, in ganeis, in alea, in perniciosi sodalicii ludis. Tantum abest, ut meminisse aliquid studeat, ut eam legem, quae de conviviis exstabat apud Graecos, μισῶ μνάμονα συμπότην, ipse de scholis latam putet et incisam non in aes, sed insculptam animo circumferat μισῶ μνάμονα μαθητήν. Itaque si postridie dictata repositas, quia perfluxerunt aures omnia, nil tenet.

Ibi magistro redit labor actus in orbem. Orditur pristinam cantilenam nec semel repetit, donec isti trunco unum atque alterum verbum infligatur. Quis est tam cornea fibra, qui non stomachetur tantum operae se perdere, praesertim cum interea et valetudinis iactura facienda sit? Nam atteruntur et labefiunt corporis vires non modo dicendi labore, sed etiam cura doloreque animi, quem, quia non respondent nostrae diligentiae studia puerorum, indignitas rei parit. Saeculum in his miseriis consumitur, dum iste primas litteras didicerit.

Nec putet se iam defunctum esse paedagogus, haec tantum nostrae tragoediae praeludia sunt, restat epitasis multo aerumnosior. Infinitus labor est os puerile formare et ad Latinam linguam assuefacere. Nam cum lingua expoliatur consuetudine bene loquendi eamque ad rem disertorum commercia multum momenti afferunt, primum, ut est neglegentia, converrunt ex proximo, hoc est a patria lingua omnem sermonem. Latine loqui, quia id difficilius erat, ne quidem conantur. Deinde quia sui similibus delectantur, eruditorum commercia procul fugiunt.

Apud unum praeceptorem Latino sermone utendum est, ad quem cum ventum est, dii immortales, quale spectaculum committitur! Puer aliquamdiu in statuae modum prorsus mutus est. Postea ubi se colligere coeperit ac meditari verba, quia animus perturbatus est, oculi superciliaque pervertuntur, si videas, dicas comitali morbo arripi: pervertitur et os velut Cynico spasmo foedissimo rictu. Post ubi diu secum luctatus est, tandem vocem edit. Sed ne deprehendatur, si quod forte existet soloecum, stridit obscure. Quidam ingeniosi sunt in postrema syllaba et casu dictionis obruendo, ne percipiatur. Iubet praeceptor clara voce pronuntiare, ille iterat et verba cadentia tollit.

Exaudit iam praeceptor, sed nihil nisi verborum portenta. Nec auctores, qui praeleguntur, redolet sermo, nec cum grammaticis praeceptis convenit. Hic demum sentit se vere miserum esse paedagogus. Nam cum ex studiis



puerilibus non alius fructus petatur, quam ut expedite loqui possint, hic videt sibi operam et oleum in dicendo perire in tam prodigiosa discipuli infantia. Sed quantae difficultates exsorbendae sunt, dum huic vitio mederi studet? Dissimulandus ei dolor animi, iracundia reprimenda est, comitate puero perturbatio animi sedanda, blande invitandus est ad loquendum.

Saepe trahendi longius de industria sermones, ut consuetudinem Latine loquendi puero faciat. Haec una res cum plus satis afferat molestiae, tamen multo magis exercet praeceptorem stilus, quem, ut Latina lingua fiat puero familiaris, adhibendum esse videt, ut usu scribendi confirmatus tuto loqui possit. Non enim unum remedium ad excutiendum istum veternum puerilibus ingeniis satis est. Sed cum nihil perinde ad parandam quam uberrimam sermonis copiam conducat atque assiduus stilus, non alium laborem tamen perinde recusant suscipere atque scribendi. Nihil est opus hic recensere causas: etenim nota vobis natura hominum nostrorum.

Immane quantus labor est percellere, ut vel toto semestri unum epistolion scribant. Ego vero comperi non aliam crucem nobis esse acerbiorem quam cum istis cessatoribus cottidie rixari, cum officii monentur. Neque vero umquam cogi potest, ut unum versum scribat, nisi praeceptor assideat, dictet argumentum, suppeditet verba. Iste cum inveniendi cura vacat, tum aegre dictata excipit. Sero hac consuetudine eo promoveris, ut suo Marte conetur scribere, si tamen umquam conatur.

Nam illum crede virgula divina ad virtutem incitari, qui vel sero per sese conatur aliquid componere. Quis non malit in pistrino molere quam hanc tam molestam plenamque stomachi pervicaciam gerere?


...



Ioannes LATINUS

De Natali Serenissimi Principis Ferdinandi

Autorem res magna petit, nascique poeta
 Debuerat fratri, Summe Philippe, tuo.
Unicus est victor, scriptorem quaeritat unum,
 Res nova vult vatem Regibus esse novum.
Auribus, alme, tuis non haec victoria ponto est 5
 Audita, hic scriptor nec fuit orbe satus
Aethiopum terris venit qui gesta Latinus
 Austriadae mira carminis arte canat.
Is genibus flexis orat te, invicte Philippe,
 Cantator fratris possit ut esse tui. 10
Nam si nobilitant Austridae bella poetam,
 Phoenicem Austridam, quod niger, ille facit,
Terribilis classis gentes motura Philippi
 Orbi portentum tunc erit Austriades.
Prodigiosa viros turbabit fama poetae 15
 Volventes fastis haec monumenta tuis.
Aurora hunc peperit Reges Arabumque beatos
 Primitias gentum quos dedit illa Deo.
Quod si nostra tuis facies, Rex, nigra ministris
 Displicet, Aethiopum non placet alba viris. 20
Illic Auroram sordet qui viserit albus,
 Suntque duces nigri, rex quoque fuscus adest.
Candace Regina genus nigrumque ministrum
 Vel curru Christo miserat illa suum.
Legerat ille genus non enarrabile Christi 25
 Austriadae pugnas non canet iste tui?
Obvius Aethiopem Christum docet ore Philippus,
 Discipulum Christus mittit ad Aethiopem,
Non temere Aethiopi coelo datus ergo Philippus.
 Ne Aethiopi iusta haec forte Philippe neges. 30
Quid quod et Austriades exactor gentis iniquae
 Garnatae vatem viderat esse suum,
Et dixit: «Fratri narrabo mira Philippo
 De te, qui scriptor diceris esse novus.
Consuevere pii reges miranda tenere 35
 Aulis, ostentum regibus ut facerent.
Saecula regnantum, nigrum Romana potestas
 Invideat vatem iure, Philippe, tibi!



Filius ecclesiae vives, Auguste Philippe,
Si pateant cunctis ad pia vota fores. 40
Nec rerum est Dominus, qui non admiserit omnes,
Gentem ne excludat Regia forte meam.
Dignetur Regnis hominem donare Phillipus,
Scriptorem fratris iam velit esse sui
Si Christus vitae fuscus non despicit autor, 45
Catholicus vatem respice iure tuum.
Ludicra, nec leuia haec scribuntur gesta poetae,
Roma ducem similem non tulit Austriadam.
Candidus hic lector cursus puppesque tuorum
Victorem norit, fluctibus Austriadam. 50
Devictos Turcas cernet, classemque superbam,
Et Parthos fratrem vincere magnanimum.
Consilium pelagi, regis navale tyranni
Imperium fractum, captaque signa sciet.
Omnia quae Latio scribit sermone Latinus, 55
Versibus et veris, arma ducesque canit.
Regnatura diu maiestas summa Philippi,
Scripta typis cudi haec imperet ipsa novis:
Ut vivat carmen gestorum fratris in orbe,
Posteritasque legat Regia facta viri 60
Qui nunc est nobis belli spes altera ponto,
Auspiciis nomen tollet ad astra tuum.
Est cultor Christi magnus, Matrisque beatæ
Virginis, Ecclesiae tutor, ad arma pius,
Magnanimus, fortis, felix, ductorque benignus, 65
Cui labor assiduus Martis, honorque placet.
Et miles pugnat, captis fit Caesar in armis,
Prudens consilio crescit et ingenio.
Dum natus princeps paulatim surgit in hostes,
Conficiet frater grandia bella tibi. 70
Fernandusque tuus, spes nostri, et gloria saeculi
Res gerere et Martem discet amare suum.
Virtute at patrem referens nil linquet inausum,
Sub iuga Turcarum mittet et Imperium:
Sub te iam Christi reddet pietate sepulchrum, 75
Regibus et fato debita regna tuis.
Haec tibi certa suo promittit carmine cornix,
Felix cuncta bene et prospera dixit, erunt.



Anna Maria a SCHURMAN

Problema Practicum

NUM FOEMINAE CHRISTIANAE CONVENIAT STUDIUM LITTERARUM?

Sic igitur thesis nostra. Foeminae Christianae convenit studium Litterarum. Cui confirmandae argumenta haec adserimus primo ex parte Subjecti: deinde etiam, Praedicati.

I. Argumentum ex proprio Subjecti.

Cuicunque natura indita sunt principia, seu potentiae principiorum omnium artium, ac scientiarum, ei convenient omnes artes ac scientiae: Atqui foeminis natura indita sunt principia seu potentiae principiorum omnium artium ac scientiarum. Ergo foeminis conveniunt omnes artes ac scientiae.

Propositio probatur: quia cui convenient principia seu potentiae principiorum, ei convenit notitia conclusionum, quae sua natura ex iisdem educuntur.

Assumptio probari potest, tum ex proprio formae huius Subjecti, sive rationis humanae: tum ex ipsis actibus seu effectis, siquidem foeminas actu scientias et artes quaslibet addiscere manifestum est: actus vero nulli sine principiis esse possunt.

II. Argumentum a proprio Subjecti.

Cui natura inest scientiarum artiumque desiderium, ei conveniunt scientiae et artes: Atqui foeminae natura inest scientiarum artiumque desiderium. Ergo:

Majoris ratio patet, quia Natura nihil facit frustra.

Minor probatur, quia quod inest toti specie; inest etiam singulis individuis. Atqui omnis homo (ut exerte statuit Philosophus Metaphysic. lib. I cap. 2.) natura scire desiderat.

III. Argumentum a proprio seu adjuncto externo.

Quemcunque Deus creavit vultu sublimi, et in coelum erecto, ei convenit rerum sublimum ac caelestium contemplatio ac cognitio. Sed Foeminam Deus crevit vultu sublimi, et in coelum erecto. Ergo:

pronaque cum spectent animalia caetera terram.


os homini sublime, etc. [Ov., Met. 1.84-5]

REFUTATIO ADVERSARIORUM

Praecognita haec, praemittenda esse putamus.

Primo sunt quidam adversariorum qui, nescio quibus praepiudiciis quasi exoculati, non limitant nostrum subjectum: sed putant ex thesi nostra sequi, nullam neque ingeniorum, neque fortis delectum esse habendum; quo minus illi conveniat praedicatum.

Sunt praeterea, qui non alium studiorum finem videntur agnoscere, quam aut lucrum, aut gloriam inanem: nisi publicis muneribus inserviant, quod est πρῶτον ac satis pudendum ψευδος; quasi prorsus supervacaneum sit, διὰ τὸ φεύγειν τὴν ἀγνοίαν Philosophari [Aristot. l. 1. Metaphys. cap. 2].



Sunt denique, qui sutdia convenire foeminae non utique negant: sed tantum eminentiorem scientiae gradum; quos forte divexat aemulatio, aut certe metus, ne aliquando eveniat illud πολλοὶ μαθητὰὶ κρειττόνες διδασκάλων. Et alterum illud antiquissimi Poetae:

*vos etenim juvenes animos geritis muliebres,
illa virago viri.* [Ennii Annales, de Cloelia]



Arthurus SCHOPENHAUER

